IOANNIS MARTINEZ DE RIPALDA

E Societ. Nominis Iesu

VVLPES CAPTA

PER

Theologos Sacræ Facultatis Academiæ Louaniensis.

V,, Vlpes insidiosos, maximeq; hæreticos significat,
,, dolosos, fraudulentos, cavernosis anfractibus la-
,, tentes & decipientes, odore etiam tetro putentes.
,, Contra quem odorem dicit Apostolus, *Christi bo-* 2. Cor. 2.
,, *nus odor sumus Deo in omni loco.* Istæ Uulpes signi-
,, ficantur in Cantico Canticorum, vbi dicitur : *Ca-* Cantic. 2.
,, *pite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas,* laten-
,, tes in cavernis tortuosis. Capite nobis, convincite nobis. Capis enim
,, eum, quem de falsitate convincis. S. August. Enarrat. in Psal. 80.

Hoc verò ad Theologos Academicos maximè spectat, qui *positi sunt custodes in vineis.* Cantic. 1.

A magnis deinde Ecclesiæ Prælatis huius officij nostri admoniti sumus.

Cùm enim grandem IOANNIS A RIPALDA SOCIET. IESV *adversus Baium & Baianos Librum, Coloniæ Agrippinæ apud Cornelium ab Egmondt & Socios*, id est, *Amstelredami apud Ioannem Blaeu* typis excusum, viderent Sociorum favore & elogiis per omnium manus volare, & unà audissent variis mendis erroribusque maculosum, ac periculum esse, ne multi imprudentes, doctrinæ eius pravitate imbuerentur; monuerunt vt eum inspiceremus, & an talis sit qualis ferebatur, dispiceremus.

Fecimus : sed, vt in imminentis mali periculo solet, raptim & festinatò.

Maculas, inquam, non omnes, sed insigniores tantùm aliquot nudavimus; vnde de tota Libri turpitudine facilis coniectura & iudicium esset.

Invidiosâ autem Baij ac Baianorum veste Theologos Lovanienses, aliosque S. Augustini discipulos Ripalda induit, vt ante S. D. N. Innocentij X. & Ecclesiæ Catholicæ oculos, infami pompâ & publico ludibrio eos traducat.

Vnde antequam Libri ipsius errores & pessimam fidem publicæ luci exponamus, quales nos in cute, & sub falso illo Baianorum amictu simus, vno verbo præfari, ac toti Mundo notum facere, non abs re præsenti erit.

PROFESSIO FIDEI ET DOCTRINÆ

Theologorum Sacræ Facultatis Lovaniensis, discipulorum S. Augustini.

NOs Sacræ Facultatis Lovaniensis Doctores toti Orbi Christiano testatum facimus, nos Sacras Scripturas, Concilia, & SS. Patres eo sensu & modo recipere ac interpretari, quo Sancta Catholica & Romana recipit & interpretatur Ecclesia, quam veritatis Magistram esse agnoscimus.

Signanter verò Bullam Pij V. amplectimur, & observamus. Jnter Sanctos autem Patres, more Maiorum nostrorum, S. August. (præsertim in materia gratiæ Dei & humanæ libertatis contra Pelagianos & Semipelagianos) Dei præeunte lumine, & Ecclesiæ Romanæ ductu, exactè sequi, nec latum vnguem à vestigijs eius deflectere, vnicè studemus.

Belgicarum quoque Vniversitatum, Lovaniensis & Duacensis, à sexaginta iam circiter annis Censuras, adversus P. Leon. Lessium & P. Ioan. Deckerium, aliosq; Societ. S. Theologiæ Lovanij & Duaci Professores: denique quidquid postea Clemens VIII. & Paulus V. in celebri Disputatione Romanâ, contra Lud. Molinam & sectatores eius censuerunt, exosculamur, & Dei gratiâ firmiter retinere conamur.

Quicumque de nobis aliter, pro mendacibus & calumniatoribus habemus; & si opus est, tales eos esse, publicè in iudicio contradictorio sustinebimus.

CAPVT I.

CAPVT I.

Falsa coniectura Ripaldæ, qua divinat omnes propositiones in Bullâ Pij V. proscriptas, à Michaële Baio assertas fuisse.

INcipiamus ab iniuriâ, & nigredine, qua Ripalda, vltra verum & meritum, aspergit Michaëlem Baium doctissimum pijssimumq; virum, & cum opinione sanctitatis An. 1589. vitâ functum, Sacræ Facultatis Theol. Lovaniensis Doctorem & Professorem, insignis Ecclesiæ Collegiatæ B. Petri Lovanij Decanum.

Aliquoties enim Ripalda repetit, *credendum esse, propositiones illas Bullæ Pij V. quæ in Libellis Baij impressis non reperiuntur, à Baio tamen constāter aut in lectionibus, aut in disputationibus publicis fuisse assertas.* Ripald. disp. 1. n. 17. disp. 4. n 23. &c. Quod quàm sit falsum, ex Apologiâ Baij manuscriptâ, & litteris eius Romam ad Illust. quendam Cardinalem scriptis, quæ Lovanij asseruantur, patet.

EPISTOLA MICHAELIS BAII.

„ REverendissime & Ill.me Cardinalis, non lubens interturbo densissimas gravissimarum occupationum turbas, quibus non dubito Ill.mam Gratiam Tuā quotidie distineri. Sed quia id quod scribere constitui, non tantùm meam existimationem, sed & doctrinam pietatis, & Sedis Apostolicæ reputationem videtur contingere, non me continui, quin illud paucis aperirem.

„ Ante annos 18. cùm primùm cœpi publicè & quotidie Sacrā Theologiam in Scholis nostris profiteri; partim ob hæreticos, qui nihil audire volunt, nisi Scripturam Sacram, & veterum doctrinam Sanctorum; partim etiam ob consortium cum optimo quodam & eruditissimo viro Ioanne Hessels, Sacræ Theologiæ Professore, qui eandem docendi normam sequebatur: in Lectione quam plusquàm 18. annos cōtinuos, Deo me confortante, quotidie prosecutus sum, post lectionem Petri Lombardi, conatus sum Sacræ Theologiæ studium statim revocare ad Scripturam Sacram, & veterum Scripta Sanctorum, Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Leonis, Prosperi, Gregorij, & similium, quos etiam hæretici saltem aliqua ex parte venerantur.

„ Sicut autem qui Scotum sequuntur, nonnulla asserunt, quæ B. Thomæ, aut Bonaventuræ studiosis minùs arrident; sic & dum nos totos ad horum veterū, & præsertim D. Augustini, qui in tractandis quæstionibus omnium diligentissimus fuit, imitationem formare conamur, & in lucem proferre, quæ in illis videbantur abdita contineri; nonnulla occurrerunt, quæ aliter assuetis minùs placuerunt;

& ijs

,,& ijs potissimùm qui sine magno studio,id potiùs sequendum putabant,
,,quod apud plures receptum erat, quàm quod ex solis Scripturæ sacræ
,,fundamentis diligenti studio constituebatur; & suam reprehensionem
,,interpretabantur quidquid aliter, aut alijs verbis dicebatur, aut disputabatur, quàm ipsi dicere, aut in suis Summarijs Doctoribus legere consueverant.

,, Hac occasione natæ sunt æmulationes,& à nonnullis, suppressis nominibus, in nostram reprehensionem excogitatæ, & quibusdam Magnatibus ante septem vel octo annos oblatæ nescio quæ sententiæ, quas ,,M. N. Ioanni Hessels & mihi impingebãt; licet nonnullæ essent à sensu ,,nostro alienissimæ,nonnullæ verò nunquam à nobis neq; in vnam,neq; ,,in alteram partem disputatæ: omnes autem, aut saltem pleræque, eo ,,artificio ab ijs excogitatæ, aut expressæ, vt vel ob solum sermonem suspectæ haberi possent; præsertim apud eos, qui eiusmodi quæstionibus ex professo non incubuissent.

,, Respondimus tunc scripto, de quo hactenus nullam querelam audivimus: licet illud ante annos sex tradiderimus Rev^{mo} atque Ill^{mo} ,,D. Granvellano, qui nobis sententias tradiderat.

,, Cùmq; putaremus vniversa hæc iam dudum esse sopita (nam à pluribus annis in Vniversitate Lovaniensi, nulla extitit huius rei mentio) ,,occasione quarundam contentionum,quæ circa id temporis,inter quosdam Fratres Minores in Provincia Flandriæ exortæ sunt; quorum alij, ,,nobis inscijs, Libellos nostros allegabant, alij verò improbabant: pars ,,vna, nobis nihil tale suspicantibus, ad Confratres Hispanos, non tam ,,collectis, quàm in alterius partis accusationem à se excogitatis & proprijs verbis expressis sentẽtijs,recurrit.Per quos primũ præiudicia,dein ,,post multã & longã sollicitationẽ,etiã tempore Pij IV. Fel.record.in-,,cœptam, vt intelligo, tandem à Sanctissimo D. N. Pio V. obtinuerunt Bullam datam Kal. Octobr. Anno 1567. In qua damnantur 76. ,,sententiæ. Quarum priores 60.aut circiter, tacito quidẽ nomine, attamen intelligentibus satis apertè expressæ significantur ex quibusdam ,,Libellis meis; sicut & palàm & nominatim, in Congregatione Facultatis nostræ testatus est,qui Bullam ex commissione Rev.^{mi} atq; Ill.^{mi} ,,D. Granvellani nobis exhibuit: recipiens ad se Libellos meos, qui adhuc apud Impressorem restabant, ac scripta D. Hessels iam defuncti; ,, cum Libello quodam qui tunc imprimebatur. Reliquæ verò sententiæ ,,nescio vnde sint desumptæ. &c.

Aperiant iam Ripalda & Ripaldani oculos, & videant quod superiùs ,,narrat Baius: Nonnullas (ex Bullæ Pij V. damnatis propositionibus) ,,esse à sensu suo & Doctoris Hesselij alienissimas: nonnullas verò ab ipso & Hesselio neque in vnam partem, neque in alteram partem disputatas

tatas

„tatas:omnes autem, aut ſaltem pleraſque eo artificio ab adverſarijs ex-
„cogitatas, aut expreſſas, vt vel ob ſolum ſermonem ſuſpectæ haberi
„poſſent.

CAPVT II.

Nova & Paradoxa eſt interpretatio Bullæ Pij V. quâ Ripalda nullam propoſitionem, propter ſolius cenſuræ additæ aſperitatem, damnatam eſſe, ſed omnes propter doctrinæ falſitatem proſcriptas contendit.

„ COntroverſia eſt, *ait Ripalda*, an aliquæ propoſitiones ſolùm prop-
„ ter cenſuram, & non propter Doctrinam à Pontificibus proſcri-
„bantur.

„ Sententiæ affirmanti, ſolùm propter immodicas cenſuras, quibus
„ſententiæ probabiles infamantur, non verò propter doctrinam, plures
„aſſertiones in Bulla interdici, aſſentiunt Suarez Tom. 1. de Grat. Pro-
„leg. 6. c. 2. n. 14. Turrian. 1. p. ſelect. Cent. 3. d. 6. & diſp. 31. dub.
„59. & Opuſc. de Gratia tit. ſpeciali de hac materia. Frequenter Vaſ-
„quez 1. 2. d. 190. c. 18. referens pro eadem ſententia Toletum, à ſe
„conſultum Romæ.

„ Moventur, *addit Ripalda*, quia non eſt veriſimile, à Pontificibus
„proſcribi probabiles & receptas gravium & priſcorum Theologorum
„opiniones, quæ nunc apud Catholicos Scholaſticos frequentes &
„communes ſunt.

Et poſtquam aliquot tales propoſitiones in Bulla Pij V. damnatas
„recenſuiſſet, ſubdit: Quarum, & ſimilium propoſitionum doctrina
„nunc etiam poſt hanc Bullam, in Scholis Theologorum frequens &
„communis eſt. Ripal. diſp. 1. n. 24. 25.

Atque tamen genuinam & germanam eſſe hanc Bullæ interpretationem: Aliquas nempe in ea propoſitiones, ob ſolam cenſuræ aſperitatem, quam Baius ſententijs adverſariorum inurebat, fuiſſe à Pio V. proſcriptas, Toletus, qui Anno 1580. Bullam Lovanij Facultati Theologicæ intimavit, Vaſquio Romæ teſtatus eſt.

„ Senſum huius damnationis, *ait Vaſquez*, provt à me explicatus eſt,
„contuli cum Ill.^mo D. Cardinali Franc. Toleto, cùm adhuc ſacri Pa-
„latij Côcionator & Theologus eſſet Anno Domini 1586. Qui, vt dixi,
„pro hac Bulla & damnatione recipienda, Lovanium miſſus fuit: eumq;

pro-

,, probavit & germanum esse dixit, propriâq; manu subscripsit. Cuius,
,, subscriptionis exemplar apud me adhuc est. Vasq; 1. 2. disp. 190. c. 18.
Quid verò ad hæc Ripalda?

,, Parti neganti, inquit, favent alij: Quorum iudiciũ, & ego probo.
Quinam autem isti *alij*? Vnicum saltem citare, & sibi associare Ripalda debuit, ne ei diceretur, *Væ soli.* Eccles. 4.

Itaque opinio, quam sibi finxit Ripalda est ista: Proposi-
,,tiones quæ videntur probabiles, & aliquo pacto sustineri
,,possunt, non damnantur propter censuram, sed propter ea-
,,rum doctrinam, in sensu proprio verborum ab assertoribus intento.
Ripald. d. 1. n. 28. Vnde hæc propositio 22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2.* Gentes quæ legem non habent, naturaliter quę legis sunt faciunt, *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*, damnatur à Pio V. non propter censuræ asperitatem, vt Vasquez fortiter asserit; sed quia negat textum Apostoli intelligendum esse de gentibus fidei gratiam non habentibus, sed de fidelibus tantùm. Quis autem di-
,, cat, inquit Vasquez, damnari sententiam huius Doctoris (Baij) in eo
,, quòd ait illud testimonium de gentibus fidelibus intelligendum esse;
,, cùm sit sententia S. Augustini, & omnium Patrum: cum quibus etiam
,, est S. Thomas, vt cap. 15. vidimus? Damnatur igitur acerba nota ob
,, rationem quam diximus. Vasq. 1. 2. d. 190. c. 18.

Damnabitur quoq; doctrina maximè Catholica huius propositionis quę est 29. in Bullâ Pij V. Operi Ripaldæ præfixâ quam Ripalda à sententia sequente separat, & per se stantem facit: *Non solùm fures ij sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant; sed etiam quicumq; aliunde, quàm per Christum in viam iustitiæ, hoc est, ad aliquam iustitiam conscendi posse dicunt.*

Item damnata erit doctrina istius propos. 28. *Pelagianus error est dicere, quòd liberum arbitrium valet ad vllũ peccatũ vitandũ.* Quod de vitatione absolutâ, & victoriâ peccati, Uasquez & Ripalda accipiunt.

Hanc verò propositionem Vasquez recenset inter eas quæ ob solam censuræ contrariæ opinionis asperitatem sunt damnatæ. Citatq; in eandem sententiam non tantùm Toletum, sed etiam Bellar-
,, minũ. Qui & ipse Lovanii fuit, inquit Uasquez, eo tempore, quo con-
,, tentiones inter Doctores exortæ fuerunt; & Romæ, cùm prædicta
,, Bulla edita & confirmata fuit. Nihilominùs neq; contra opinionẽ quã
,, docet de victoriâ tentationum (nam lib. 5. c. 7. de grat. & libero
,, arb. *Magis consentaneè ad Scripturas & Patres loqui eos, qui dicunt nullam*
,, *tentationem sine Dei auxilio vinci posse*, docet Bellarminus) quidquam ex
,, hâc Bulla sibi obijcit. Neque cùm docet, posse fieri aliquod bonum

opus

„ opus ex proprijs viribus, ſine auxilio gratiæ, auctoritate huius Bullæ
„ id confirmat. Sciebat enim optimè eam ad hoc nihil roboris habere:
„ Cùm tamen huius meminerit, & aliquas propoſitiones in illa damna-
„ tas adduxerit, cùm agit de merito, Tom. 3. lib. 5. de iuſtific. c. 12.
Vaſq. 1. 2. diſp. 190. c. 18.

Ripalda verò illas, & omnes vniverſim, vt ſuprà diximus, propoſitiones, detersâ etiam aſperitate cenſuræ, falſas in proprio verborum ſenſu, & falſitatis, vt minimùm, à Pio V. damnatas eſſe contendit. Sed quidquid Ripalda ſe meliùs Bullã Pij intellexiſſe, & Baij Libellos diligentiùs quàm Vaſquiũ legiſſe ſe iactet; nihil tamen cauſæ eſt, cur ei potiùs quàm Vaſquio, Bellarmino, Toleto, & tot alijs Socijs ipſo longè ſapientioribus credere debeamus. Vnde autem ei tam duræ & rigidæ interpretationis in mentem venit?

Sine dubio, vt Doctores Lovanienſes, & S. Auguſtini ſectatores, qui aliquas Bullæ Pij V. propoſitiones, ſeclusâ mordacitate cenſuræ contrariæ opinionis, veras eſſe dicunt, Baianos faceret. Nec penſi quidquã habet, quòd Socios ſuos Toletum, Bellarminum, Vaſquium, Suarem, Turrianum, Mæratium, alioſque in eandem Baij foſſam vrgeat & præcipitet; modò Lovanienſes & S. Auguſtini diſcipulos in eã ſimul iacentes videat. Imò eâdẽ Lovanienſium invidiâ & odio, S. Auguſtinum (cuius innumera pænè teſtimonia Vaſquez 1. 2. d. 189. c. 16. in ſuam ſententiam colligit & accumulat) Baianum facit. Ac denique tot Romanos Pontifices S. Auguſtino conſentientes, & in primis Innocent. I. cùm ait, *Neceſſe eſſe, vt quo auxiliante vincimus, eo iterùm non adiuvante, vincamur*, Baianis annumerare Ripalda debebit.

CAPVT III.

Impoſturæ per Ripaldam affictæ Theologis Lovanienſibus, alijſque D. Auguſtini diſcipulis, in materiâ doctrinæ.

NOn ſatis fuit Ioanni Martinez de Ripalda, præſumptuosâ quâdã temeritate exoticam, & non minùs Sedi Apoſtolicæ præiudicialem, quàm cõmuni Doctorum ſententiæ repugnantem comminiſci Bullæ apoſtolicæ interpretationem; ſed, vt ſpecioſiùs quos ſibi fingit adverſarios oppugnare poſſet, calumniosè etiam nobis, alijſque Divi Auguſtini diſcipulis affingere & imponere audet plurimas hæreticas, aliterque erroneas doctrinas, de quibus nobis nihil vnquam in mentem

venit; quibusque contraria cùm verbo tum scripto quotidie auditoribus nostris inculcamus. Aliquas propterea in medium hîc proferemus, vt inde quam fidem Ripalda in cęteris mereatur, innotescere possit. Itaque

§. 1. *Quoad doctrinam, de statu naturæ integræ.*

D*isp.*3.*n.*1. Baianis, id est, Nobis alijsque doctrinę Augustinianę sectatoribus, imponit: "Quod asserant hominem & Angelum in statu innocétiæ potuisse perficere omnia opera meritoria fidei, charitatis „ & virtutum, quæ naturę lapsæ sunt supernaturalia, per vires naturales „ liberi arbitrij in creatione datas, quin ea donaret gratia Dei; eo sensu quo Pelagius asserebat sufficere ad illa agenda libertatem & facultatem naturalem.

N. 2. "Quòd similiter asserant potuisse hominem & Angelum in eo „ statu per naturales vires arbitrij in iustitiâ perseverare sine gratiâ illâ „ donante, eodem sensu quo Pelagius id docebat de naturâ lapsâ.

N. 4. "Quòd dicant adiutorium Dei ad opera meritoria & supernaturalia eo solùm esse verè & proprijssimè gratiam, quamvis primæ „ hominis & Angeli creationi debitum sit, quia ipsa creatio est gratiosa & adiutorium non est debitum ante voluntatem creandi, sed post „ illam: quemadmodum est gratia homini vivere, sentire & intelligere.

Disp. 5. *n.* 10. Quòd doceant gratiam status innocentiæ non distingui à gratia creationis. Verba sunt " Cùm autem tãdem vocum significatio revelata fuit, & tota gratia ad creationis naturę gratiam devoluta, iam tum res tum voces doctrinam omninò Pelagianam redoluerunt, mihiq; plausi (*notate phrasim*) quod mea me non fefellit opinio: & quasi vulpeculâ extra latibulum deprehensâ, exclamavi cum „ Augustino lib. de natura & gratia c.51. Expressa est sententia quæ latebat, non est quemadmodum possit abscondi; ideo Dei gratiæ tribuit non peccandi possibilitatem, quia eius naturę Auctor est, cui possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicit.

Eâdem disp. n. 27. & 28. "Quòd negent merita naturæ integrę esse „ absolutè gratiam aut donum Dei.

Quod iterum repetit n.53. in verbis "Hæc calumnijs plena sunt & à „ vero longè aberrant, Suariumq; & Augustinum imposturis infamant. „ Suarium, quia &c. Augustinũ verò, quia imponũt perseverantiam naturæ integræ non esse gratiam & donum Dei, contra doctrinam Ecclesię damnantis Baium.

Disputat.

Disputat. verò 6. n. 5. "Itaque Baiani (ait) prædicantes necessa-
„riam gratiam ad merita vitę æternæ, non discrepant reipsa à Baio gra-
„tiam necessariam negante.

Et n. 6. "Baius & Baiani gratiam theologicam superadditam na-
„turæ, non solùm negant necessariam ad actus salutares & meritorios
„fidei, spei, & charitatis in naturâ integrâ, sed etiam ad perseverãtem eo-
„rum vsum & in iustitiâ perseverantiam obtinendam: vt homo & An-
„gelus diuturnâ duratione viatores adipisci possent fœlicitatem æter-
„nam per merita, tanquam mercedem & coronam, absque accessione
„novę gratiæ superadditę creationi naturæ. Volens *discipulos Augu-
stini nequidem ad perseverantiam, in statu naturæ integræ gratiam requirere.*
Vnde *n.4.* pręmiserat: "Eo sensu volunt actus salutares credendi, spe-
„randi, diligendi Deum fieri facultate naturali arbitrij in statu naturę
„integræ, quo Pelagius eos fieri in statu naturæ lapsæ voluit, solâ facul-
„tate liberi arbitrij, absque auxilio gratiæ.

Item "Docent eos actus qui à natura lapsa fiunt auxilio gratiæ, fieri
„à natura integra viribus liberi arbitrij; supponentes doctrinam esse sin-
„gularem & Scholasticis inauditam, & novam.

Ac *n. 3.* "Cùm gratiam eius auxilij explicant, proferunt indistin-
„ctam à gratiâ creationis, & cum ea omninò connexam, eiq; prorsus
„debitam. In quo reipsa à mente Baij non dis[illegible]runt.

Pergit tunc in splendido mendacio, & [illegible]lenta calumnia *n.42.* ad
obiectionẽ quandã hoc modo respondendo? "Hæc obiectio mihi argu-
„mento est Baianos easdẽ, quas Pelagianos, vires tribuere naturæ secũdũ
„se, secluso peccato, ad merendum vitam æternam: eandemque gratiam
„Dei, quam Pelagius exclusit necessariam, scilicet à gratia creationis
„naturali distinctam, naturalique conditioni naturæ superadditam, eos
„excludere ad merendum necessariam. Itaque ante peccatum nihil dif-
„fert Baiana à Pelagiana doctrina. Siquidem volunt ante peccatum
„veram esse Pelagianam doctrinam de viribus naturæ, sine gratia Dei
„sufficientibus ad merendum. Sed absit à viris Catholicis tam erronea
„sententia, & ab Augustino, Pelagianorum gladio, tanta infamia, quan-
„tam eius menti Baiani affingunt. &c. Absit, re verâ, Ripalda; sicut
longissimè abest à mẽtibus nostris, quibus affingis quod nunquam fuit,
& Dei gratiâ, nunquam erit.

§. 2. *Quoad statum naturæ lapsæ.*

PRo *statu naturæ lapsæ* ex cerebro suo similiter fingit Ripalda *disp. 3.
n. 12.* eosdẽ D Augustini discipulos docere "Gratiã non relinquere
„arbitrio libertatem indifferentiæ ad bonum oppositam necessitati, sed
„tantùm coactioni & violentiæ.

N. 13. "Gratiam non provocare, allicere, & cooperari voluntati:
„eò quòd iuxta ipsos, *Pelagiana phrases sunt, gratiam provocare, alli-
„cere, cooperari voluntati.* Sed cuius Ripalda, aut quorum ? quo loco ? quâ occasione ? quo sensu prolata ? Verba à textu avulsa aliud sæpè sonant, quàm in ipso textu. Designa librum & locum vbi aliquis istorum, quos Baianos invidiosè agnominas, ista habet, & illicò ostendemus te turpiter hallucinari, & falsò nobis imponere.

§. 3. *Quoad statum naturæ integræ & lapsæ.*

D*Isput.* 3. *n.* 16. Calumniatur "Baianos doctrinam Calvinianam
„& Pelagianam simul de auxilio efficaci gratiæ complecti: quip-
„pè in statu naturæ integræ gratiam admittunt (ait) extrinsecè effica-
„cem, cum omnibus absurdis & Pelagianis sequelis, quæ sententiæ Ie-
„suitarum obijciuntur, & à Iesuitis refelluntur; in statu verò naturæ
„lapsæ, gratiam intrinsecè efficacem amplectuntur cum omnibus absur-
„dis & Calvinianis sequelis, quæ in sententiam Dominicanorum tor-
„quentur & à Dominicanis refelluntur.

Disp. 7. n. 109. "Eos in statu naturę lapsæ totum adscribere soli
„gratiæ, & in statu naturæ integrę soli arbitrio, Calvinum & Pelagium
„amico fœdere coniungentes.

§. 4. *In materia libertatis.*

D*Isp.* 7. *n.* 11. "Fingit eos cum gratia solummodò relinquere li-
„bertatem à violentia & coactione.

Disp. 13. n. 3. "Eos per omnia subscribere doctrinę trium istarum
„propositionum in Bulla Pij V. proscriptarum: *Quod voluntariè fit*
„*etiamsi necessariò fiat liberè tamen fit. Is libertatis modus qui est à necessitate,*
„*sub libertatis nomine non reperitur in scripturis, sed nomen libertatis à pecca-*
„*tis.* Et, *Sola violentia repugnat libertati naturali.*

Eâdem distinct. n. 5 postquam *n.* 4. præmiserat. "Itaque men-
„titi sunt Baiani negantes eas propositiones à Michaële Baio in aliquo
„suorum Opusculorum tradi; subnectit: "Earum quidem sensus est,
„veram & propriam libertatem posse cum necessitate operãdi componi,
„solamque excludere coactionem & violentiam, ideoque omnem actio-
„nem spontaneam & voluntariam, quamvis necessitate fiat & non pos-
„sit non fieri, esse verè & propriè liberam, nec libertatis nomine in sa-
„cris litteris libertatem à necessitate significari. Quod etiã Baiani con-

stantissimè

„ſtantiſſimè profitentur, & fuſiſſimè munire contendunt ex doctrina „Auguſtini & priſcorum Patrum ac Theologorum, quorum eam eſſe „ſententiam indubitabile tradunt.

Sed vbi iterum, quo loco? Vnum ſaltem aliquem fictorum Baianorum ſuorum nominare debebat Ripalda, & librum, diſputationem, aut quæſtionem, in qua id fiat deſignare. Quod nec facit, nec facere potuit; quia revera nemo inter Auguſtini diſcipulos ita deſipit. Et tamen pergit & addit, "Quarè has propoſitiones ea ſolùm de cauſa damnatas volunt „à Pontifice, quamvis earum doctrina vera ſit; quia viam ſternunt „ad aliam, Baianorum opinione falſam, & à Michaële Baio aſſertam „propoſitione 70. & 71, quâ *Baius motus concupiſcentiæ verè liberos, & „lege prohibitos pronuntiat.*

O malitiam inſignem, ſi quidem antonomaſticus eius Baianus ab ipſo viſus in lib. 6 de Grat. Chriſti Salvat. c. 36! Ibi enim duas ex præfatis propoſitionibus ſibi obijcit. Et reſpondet, fateturque ambas eſſe falſas & meritò damnatas, diſertè docens quod dictæ propoſitiones etiam à cæteris avulſæ, & de libertate generatim, ſicut eas expoſuit, intellectæ, per ſeipſas adhuc ſine vlla interpretatione, vel mitigatione falſæ ſint.

Eadem diſp. 13. *n.* 10. Baianos miſeriùs errare docet, quàm Baium; „Quia illi in ſtatu naturæ lapſæ nullam agnoſcunt moralem libertatem neceſſitati oppoſitam, etiam ſub auxilio gratiæ conſtitutam; ſive „cum homines benè, ſive cum malè operantur. Nam malè operanti- „bus negant auxilium ſufficiens gratiæ, quo aut peccatum cavere, aut „benè operari queant. Benè operantibus verò tale Gratiæ auxilium „neceſſarium profitentur, quo neceſſitas inducitur, & ſola libertas vio- „lentiæ contraria relinquitur, nullà ſuperſtite poteſtate antecedenti ad „cohibendam actionem bonam. Baius verò nihil de qualitate gratiæ „auxiliantis naturam lapſam expreſſit, ſed manifeſtum ſuppoſuit, auxi- „lium Gratiæ tale eſſe, cum quo tam benè, quàm malè operantes retinere poſſint libertatem neceſſitati oppoſitam. Itaque in eo in quo à „Baio diſſentiunt, miſeriùs Baiani, quàm Baius in errorem lapſi ſunt.

Diſp. 14. *n.* 9. Eadem repetit, quæ ipſis in præcedentibus ſæpiùs exprobrat hiſce verbis "Baiani cum Baio tenaciſſimè tuentur actionem „voluntariam, eo ipſo quod non ſit invita & coacta ſed voluntaria, eſſe „prorſus liberam eâ libertate quæ ad imputabilitatem meriti aut de- „meriti neceſſaria eſt. Et poſtea *n.* 10. ſubiungit: "Id fatentur mi- „rum & paradoxum fore Scholaſticis recentioribus; clamant tamen, & „contendunt eſſe in ſcriptis priſcorum Theologorum, & Eccleſiæ Pa- „trum, præſertim Auguſtini, celebratiſſimum & expreſſum: eòque tra- „hunt ingentem copiam teſtimoniorum, quibus rem perſuadere nitun- „tur.

 Opor-

Oportet ergo Ripaldam insigniter malitiosum esse, aut insigniter stupidum. Insigniter malitiosum, si suum per excellentiam Baianum proprijs oculis legit & intellexit. Insigniter stupidum autem, si quidem legit, sed non advertit testimonia illa ad quæ hîc alludit ab eo in alium finem congeri. Idem enim per totum suum opus passim inculcat, *quod ad hoc vt actio aliqua libera sit, præter hoc quod est eam spontanee seu voluntariè fieri, insuper etiã requiratur vt fiat deliberatè.*

Eadem disput. n.25. & sequent. Contendit Baianos "Eodem sensu ne„gare arbitrium resistere & dissentire posse motioni gratiæ, quo id ne„gat Calvinus.

Disp. 18. n. 22. Iuxta eos liberum arbitrium extinctum esse, eò quòd doceant ex peccato Adæ iniectam nobis esse necessitatem quandam peccandi. Verba sunt: "At si naturæ humanæ ex peccato Adæ iniecta es„set necessitas peccandi, liberum arbitrium peccato Adæ esset extin„ctum. Nam nulla superesset homini libertas, secluso beneficio gratię „divinę, neque ad bonum neq; ad malum; ad bonũ quidem, quia seclusa „gratia negatur à Baianis omnis potestas boni, quocirca etiam libertas „boni vltro ab eis conceditur extincta. Ad malum verò, quia asseritur „iniecta omnimoda necessitas peccandi, quæ peccandi libertati repug„nat.

§. 5. *In materia peccatorum.*

DIsp. 9. n. 27. Iisdem Augustini discipulis imponit, quòd iuxta ipsos, *concupiscentia præcurrens liberum voluntatis consensum sit verè & propriè peccatum, ac à Deo suâ lege prohibitum.* "In specie, *ait*, „testimonia Augustini producemus & explanabimus, vbi contra „Baium & Baianos nostrique sæculi hæreticos, statuerimus concupiscē„tiam præcurrentem liberum voluntatis consensum non esse verè & „propriè peccatum nec à Deo lege suâ prohibitum.

Oportet quidem mendacem memorem esse sui. Sed Ripalda gnomes istius oblitus, in eam turpiter impingit. Nam suprà sub §. de Materia libertatis, in verbis citatis ex disp. 13. n. 4. dixerat: "Propositionem illam „Baianorum opinione esse falsam *quæ statuit motus concupiscentiæ verè „liberos & lege prohibitos.* Hîc autem illis contrarium affingit. Tam inconstans & desultor est Ripalda.

Disp. 10. *n.*29. "Eos subscribere pestilenti errori hæreticorum no„stri temporis, de libertate non necessaria ad peccandum.

§. 6.

§. 6. *In materia praeceptorum.*

PAſſim per totam *Diſput.* 23. ſpecialiter autem *ſectione* 2. *&* 3. vti & paſſim per totum librum inculcat & reinculcat, "Baianos doce-„re quod homines in natura lapſa ad impoſſibile obligentur.

Sed benè eſt quod in eo, vti & in pleriſq; alijs, veteres Semipelagianorum obiectiones reſumat. Nam eadem S. Auguſtino olim obiecerunt, lib. de Corrept. & Grat. cap. 6. & alibi, vti & Fauſtus lib. 2. cap. 11. Unde quo modo calumniam iſtam à ſe repulit Auguſtinus, repellere poſſumus & nos.

§. 7. *In materia Virtutum.*

D*Iſp.* 3. *n.* 19. Iuxta ipſos, inquit," Amorem cócupiſcentiæ à charita-„tis amore diſtinctum, quo Deum vt bonum noſtrum diligimus, „non eſſe virtuoſum ſed vitioſum. *Et n.* 20." Amorem virtutis propter „ſe non eſſe honeſtum, ſed turpem. Præmiſerat etiam *n.* 18. Iuxta ip-„ſos " Virtutes nó aliter eſſe diverſas, quàm diverſitate & multiplicitate „actuum charitatis. Et conformiter poſtea *Diſp.* 22. *Sect.* 1. vult eos „ "Nullam præter charitaté agnoſcere virtutem. Addens *num.* 3. "Eoſ-„dem non diſtinguere virtutes morales ex obiectis formalibus, ſed ma-„terialibus dumtaxat.

§. 8. *In materia mortis Chriſti pro humano genere.*

D*Iſp.* 23. *n.* 16. dicit: "Baianos ſuſtinere *Chriſtum non fuiſse mortuum pro omnibus hominibus, ideòque nec omnium fuiſse Redemptorem, nec pro omnibus oraſſe.* Quaſi doctrinæ Auguſtinianæ & Catholicæ ſectatores non firmâ fide tenerent quod ait Apoſtolus 2. ad Corinth. 5. *Vnus pro omnibus mortuus eſt.* Item *pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Et de alio ſolliciti eſſent, quàm de ſenſu & modo quo hæc iuxta SS. PP. potiſſimùm autem iuxta SS. Auguſtinum, Proſperum, & Fulgentium exponi debeant.

§. 9. *In materia pœnitentiæ.*

D*Iſp.* 3. *n.* 22. vná Baianorum aſſertioné eſſe dicit:" Dolorem de pec-„cato conceptum ex timore gehennæ aut ex odio turpitudinis pec-

cati

„cati & non ex amore Dei, nullâ ratione disponere hominem ad iustifi-„cationem, cum Sacramento pœnitentiæ consequendam. Quod vt persuadeat, ineptissimè verba quædam dicti sui Baiani applicat: vtpote quæ aliud non important, quàm dolorem talem de peccato, nequidem cum Sacramento sufficere ad iustificationem, alio nullo interveniente. Quod An reprehensionem aliquam mereatur, ruminent apud se qui pro Ripaldæ partibus stare volunt.

§. 10. *Circa infallibilitatem Sedis Apostolicæ.*

D*isp.* 12.*n.*3. Postquam mēdaci calamo præmiserat: "Quæ probatio „eò constantior est, quò Baiani ingenuè fatentur, suam ab Ecclesia „doctrinam esse proscriptam, & nihil aliud quod respondeant in-„veniant, quàm suam sententiam esse omninò Augustinianam, quam „ipsa Ecclesia veneratur & celebrat; atque adeò Bullas contra Baium „absque examine doctrinæ Augustinianæ editas, quod Theologi Scho-„lastici eius prorsus ignorantes fuerint. Quæ an sanæ fidei responsio sit, „iudicent viri Catholici. Vt nos tantò magis exosos apud Sedē Apostolicam totumq́ue populum Christianum reddat, fingere non veretur, nos tria magna absurda, de quibus nihil vnquam somniavimus, Sedi Apostolicæ tribuere. Primò *eam sibi contradicentia docere*: nimirùm, *D. Augustini doctrinam in omnibus quæ de Gratia Dei contra Pelagianos scripsit esse tenendam, & doctrinam Baij per omnia Augustinianam esse respuendam.* Secundò, *In ijs quæ inter Augustinum & Pontifices Ecclesiæ contradicentia sunt, præferendam esse doctrinam quæ constiterit esse Augustini, ei doctrinæ quæ constiterit esse Sedis Apostolicæ.* Et tertiò, *Errorem potiùs Ecclesiæ iudicanti & definienti, vel ob defectum examinis, vel ob defectum scientiæ irrepsisse, quàm in eum incidisse Augustinum.* Cum insigni hoc epiphonemate, quod quàm magnus religionis & modestiæ candidatus sit Ripalda, non obscurè indicat. : *Tanta est Baianorum Religio atque modestia.* Et mox: "Quid „nunc dicent, cùm etiam post examinata & visa ipsorum scripta Urba-„nus Papa VIII. Baij doctrinam tertiò damnaverit? Num etiam nunc „ea quæ ipsis ab Augustino inventa & ponderata sunt, fuerunt in Ec-„clesia à Theologis ignorata? Deponant iam Ecclesiæ iudicio proter-„viam, aut palàm Ecclesiæ adversarios se prodant.

Verùm non opus est, falsidice Ripalda, vt altervtrum faciamus. Tantum enim abest, vt protervia aliquam erga Sedem Apostolicā deponere debeamus; vt quidquid hactenus pro sententia D. August. de Prædestinatione, Gratia, Libero arbitrio, & annexis pugnavimus; id ad tuendum infallibilitatem istius Sedis contra te tuique similes, qui illam

ex insidijs aggredimini & per cuniculos subvertere nitimini, potissimùm fecerimus. Dùm enim doctrinam Molinæ, quæstioni olim sub Clemente VIII. & Paulo V. subiectam, & nondum liberatam, Augustinianæ toties per Summos Pontifices, & Concilia generalia particulariaque approbatæ, præferre, & inter fidei dogmata collocare vultis; quò aliò collimatis? Deus etiam, vt confidimus, qui nos hactenus in fide catholica & vera minimeque fucata erga Sedem Apostolicam obedientia conservavit, conservare quoq; perget vsque in finem; pugnantes præsertim secundùm officij nostri in præsenti exigentiam: & parricidales pugiones manibus iratorum Ecclesię filiorum eripientes. Inter parricidales porrò pugiones, postremum locum tenere non debent imposturæ illæ tuæ, Ripalda, quas iam pro parte aliqua recensuimus. Qui vt tibi tuisque efficaciùs securiùsque deinceps eximantur: Ecce *coram toto mundo bonâ & sincerâ fide declaramus: Nos nullam prorsus ex propositionibus aut sententijs præfatis, nobis à Ripalda calũniosè impositis vnquã tenuisse aut docuisse, nec in præsenti tenere aut docere; sed è converso, easdẽ omnes & singulas pro hæreticis, aut vt minimũ, pro valdè in Theologia erroneis, sẽper habuisse, & habere*. Rogamus etiam, vt si quis huic declarationi nostræ non plenam adhibeat fidem, vtpote Ripaldæ aut alterius alicuius auctoritati nimium deferens; præclarum illum Augustinianæ mentis interpretem, quem Ripalda vbique sub invidioso Baiani nomine exagitat, consulere: & quid ille in rei veritate doceat, investigare dignetur. Inveniet enim eũ planè opposita istis quæ Ripalda nobis imponit, ex Augustino suo tradere, & operosè inculcare. Ac luce meridianâ clariùs intelliget, spiritum qui Ripaldæ calamum in hoc infami opere direxit, non veritatis & modestiæ spiritum fuisse, sed mendaciorum & calumniarum. Quod aliàs non obscurè etiam præ se ferunt, efferata & prorsus exorbitantia, quibus in singulis ferè paginis nomini & æstimationi nostrę detrahere conatur, convitia & probra. Exemplo sint hæc pauca.

Alia quædam Convitia & Calumniæ Ripaldæ in D. Augustini discipulos.

D*Isp. 6. n.* 5. "Baiani ſubdolè loquuntur, & mentem Baij vocibus „catholicis diſſimulant.

DIſp.. 12. n. 59. "Priuſquam gradum promoveamus, nota inge-„nue lector immodeſtiam, ne dicam furorem ſeu rabiem Baiano-„rum in eos qui ſuis dogmatibus contradicunt, cùm nec ipſi Auguſti-„no, quem vnicè Magiſtrum & Doctorem prædicant, profeſſione co-„lunt, vbi eis quoquo modo repugnat, parcere velint.

Diſp. 12. *n.* 119. "Baiani oſores Philoſophiæ, illam ſolam amant „quæ erroribus plena eſt, & omnium Catholicorum doctrinæ contra-„dicit.

Eâdem diſp. n. 147. "Vbique Baiani ſuam ignorantiam produnt, „& cùm Theologiam nunquam didicerint, in Theologicas propoſitio-„nes Scholaſticis frequentes velut in ſomnia incidunt.

Diſp. 17. *n.* 91. "Baiani cæcutientibus oculis ſcripta Patrum legunt, „& ſolis voculis lectorem eludere volunt.

Diſp. 17. *n.* 141. "Oſtenſum eſt Calvini doctrinæ Baianam per om-„nia conſentire (doctrinam ſcilicet de libertate conſiſtente cum gra-tia prædeterminante.)

Diſp. 17. *n.* 146. "Rurſus deprehenditur Baianos eludere velle ſa-„cra teſtimonia Conciliorum & Patrum, necnon Scholaſticorum „omnium.

Diſp. 19. *n.* 73. "Hæc mirum eſt blaſphemari à Baianis, qui omnis „Philoſophiæ & Scholaſticæ Theologiæ ignorantes ſunt, & de igno-„rantia gloriantur.

Diſput. 23. *n.* 10. "Baianorum ſententia omnibus Scholis Catholicis „peregrina, & inaudita eſt.

Diſp. 23. *n.* 11. "Baiani aliorum patrocinio & ſuffragijs deſtituti „non ſunt, quia eis per omnia ſuffragantur hæretici noſtri temporis; „vt cernas, an ex fontibus Auguſtinianæ doctrinæ, vt ipſi iactitant, „an ex lacunis hæreticorum hæc ſententia (de defectu ſcilicet gratiæ „ſufficientis quoad quoſdam in ſtatu naturæ lapſæ) hauſta ſit.

Augiæ Stabulum purgare deberet, qui omnes huiuſmodi in nos congeſtas ſordes, ex convitioſo Ripalda libro converrere vellet. Unde ad fidem quam Ripalda in Patribus citandis ſervat, gradum faciemus.

CAPVT IV.

CAPVT IV.

De falsis Citationibus Ripaldæ.

QVod hæretici quemadmodum scripturas sacras, ita sanctorum Patrum scripta depravent & corrumpant, vt ea faciant servire suis erroribus, haud miramur; quia ipsos ille spiritus agit & regit qui est pater mendacij. Sed non possumus non vehementer admirari, etiam inter Catholicos Doctores inveniri, qui simile quid facere audeant, vt dogmatibus suis fidem apud imperitos concilient. Quod vt veritati Christianæ summè iniuriosum, ita Christi spiritui, qui est spiritus veritatis, adeò est contrarium, vt nesciamus quomodo ab homine Christiano, qui veritatem amet & quærat, istud fieri possit. Facit tamen hoc Io. Martinez de Ripalda sparsim toto suo libro; & quidem tam densè, vt pleræq; paginæ, nigræ sint istis criminibus falsi. Torquet passim verba sanctorum Patrum ad sensus manifestè alienos ab eo quem suis locis inspecta habere dignoscuntur: sæpissimè ea mutilat & truncat, vel aliter corrumpit, aliquid addendo aut demendo: dissimulat sæpius antecedentia vel consequentia, à quibus pendet intellectus loci quem citat: & quæ in textu Patrum magno intervallo distant, quasi immediatè sibi cohærerent, coniungit, atque hac arte non rarò reddens sensum alium quam in textu ipso verba discontinua habeant. Quorum omnium & singulorum exempla aliquot ex aliis innumeris selegimus, quę hic infrà Lectori repręsentamus.

Fecimus autem hîc duas columnas maioris claritatis gratiâ. Prima continet citationes Ripaldæ cum nostris animadversionibus. Secunda continet verum & integrum Textum Patrum, quem Ripalda corrumpit, vel aliquam eius partem perversè citat. Conferat Lector simul utramque Columnam, & veris criminibus, non falsis calumniis Ripaldam à nobis onerari intelliget.

Falsificationes Textuum D. Augustini.

§. I.

Ripalda accipit verba disputantis pro sententia resoluentis.

RIPALDA DISPVT. 5. N. 44.

,, AVgustinus de Spiritu & littera ,, c. 33. *ait Ripalda*, voluntatē cre- ,,dendi noluit ita esse purè Dei donum, ,,vt

AVGVST. LIB. DE SPIRIT. ET LIT. CAP. 33.

S*Ed consequens est paululùm quærere, vtrū voluntas illa quæ credimus etiam ipsa Dei donum*

„vt non ſit etiam opus arbitrij liberè recipientis illud: *Si autem dixerimus huiuſmodi voluntatem non eſſe niſi donum Dei, metuendū eſt, ne infideles non immeritò, ſed iuſtè excuſari videantur: ideò non credidiſſe, quòd dare illis Deus iſtam noluit voluntatem.* Igitur vt excuſatio ſit vana, dicendū eſt, Deum illis quantum eſt ex ſe cum auxilio gratiæ voluntatem dediſſe, ſed illos pro ſuo arbitrio noluiſſe recipere. Itaque poteſt meritum eſſe donatum & acceptum à Deo, quamvis auxilium donans poſſit arbitrio non recipiente fruſtrari. Hactenus Ripalda.

donum ſit: an ex illo naturaliter inſito libero adhibeatur arbitrio. Si enim dixerimus eam non eſſe donum Dei, metuendum eſt ne exiſtimemus inveniſſe nos aliquid quod Apoſtolo increpanti & dicenti: Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? reſpondere poßimus: ecce habemus voluntatem credendi quam non accepimus: ecce vbi gloriamur quod non accepimus.

Si autem dixerimus etiam huiuſmodi voluntatē non eſſe niſi donum Dei, rurſus metuendum eſt, ne infideles atque impij non immeritò, ſe veluti iuſtè excuſare videantur, ideo non crediſſe, quod dare illis Deus iſtam noluit voluntatem. . . . . . .

Prius igitur illud dicamus & videamus vtrum huic ſatisfaciat Quæſtioni &c.

Ubi ex oppoſita diſputatione Auguſtini hæc verba: *ſi autem dixerimus* &c. citat tanquam ſententiam reſolutivam; cum manifeſtum ſit eſſe verba diſputantis, non reſolventis. Proponuntur enim tanquam argumentum pro prima parte quæſtionis quam ibi movet Auguſt. vnde ſicut argumenta quæ D. Thomas in ſuis articulis præmittit corpori, non continent ſententiam D. Thomæ; ita nec iſta verba citata à Ripalda continent hoc loco ſententiam D. Auguſtini.

Inſuper in iſtis verbis citatis præter alias varias particulas Ripalda omittit particulam *veluti*, ante *iuſtè*; cùm tamen non omnino æquivaleant hæc duo: *iuſtè excuſari*, & *veluti iuſtè excuſari.*

Eodē modo quo hic, hallucinatur iterum Ripalda diſp. 24. n. 47. ubi verba Auguſtini diſputantis lib. de corr. & grat. cap. 10 accipit tanquam verba decernentis: & inſuper textum corrumpit: quem locum propterea hîc ſubiungimus.

§. II.

RIPALDA DISPVT. 24. N. 47. EX AVGVST.

SEd illud magis quærendum, operoſiuſque tractandum eſt, quomodo reſpondeamus eis, qui dicunt eum (primum hominē) peccaſſe, & deſertorē boni fuiſſe. *Non ergo habuit in illo bono perſeverantiam*

AVGVSTINVS DE CORREPT. ET GRAT. CAP. 10.

SEd illud magis quærendum, operoſiùſque tractandū eſt, quomodo reſpondeamus eis, qui dicunt: Si in illa rectitudine in qua ſine vitio factus eſt, habuit per-

rantiā: *& si non habuit, non vtique accepit. Quomodo enim & accepisset perseverantiam, & non perseverasset? porrò si propterea non habuit, quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Nec enim dici potest ideo non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratia largitate: nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa antequam peccasset.* Sic Ripalda hunc locum citat. Et immediatè subiungit: ,,Planè etiam hîc perseverantiā Adami ,,supponit, *Augustinus*, accipiendam à ,,Deo donante illam.

Vult autem Ripalda probare ex isto loco Augustinum, nullum discrimen essentiale statuisse inter adiutoria gratię data Adamo in statu naturæ integræ, & inter ea quæ in statu naturę lapsę dantur nobis ad perseverandum.

Vbi primùm attende Lector, quomodo Ripalda hunc locum Augustini mutilet & corrumpat, circa initium post hęc verba: *Quomodo respondeamus eis qui dicunt*: Insuper quomodo truncet in fine pendentem adhuc sententiam, omittens hęc verba: *ex quo tracta est origo vitiata*.

Deinde perpende an ista verba quæ hîc vrget pro se Ripalda: *Porrò si propterea non habuit, quia non accepit* &c. non sint verba Augustini obiectionem tantùm

perseverantiā, procul dubio perseveravit in ea. Et si perseveravit, vtiq; non peccauit, nec illam suam rectitudinem Deumq; deseruit. Eum autem peccasse, & desertorem boni fuisse, veritas clamat. *Non ergo habuit in illo bono perseverantiam, & si non habuit, non utique accepit. Quomodo enim & accepisset perseverantiam, & non perseverasset? Porrò si propterea non habuit quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest ideo non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratia largitate. Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa antequam peccasset*, ex quo tracta est origo vitiata.

Huic quæstioni responsionem mox subiungens Augustinus: *Quapropter saluberrimè confitemur*, inquit, *quod rectissimè credimus, Deum dominumque rerum omnium qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura esse præscivit, & scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis benefacere quam mala esse non sinere; sic ordinasse angelorum & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, Deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiaq; iudiciū. &c.*

proponentis; non autē ex animi sui sensu decernentis vel supponentis; id quod Ripalda dicit.

Denique vt videas quanta sit hîc cœcitas Ripaldæ, arripe librum Augustini, & perlege ea quæ isti disputationi pro resolutione subiungit & prosequitur vsque ad finem capitis duodecimi latissimum discrimen statuens, & lucidissimè explicans, inter adiutorium perseverantiæ, quo primus homo ante lapsum perseverare poterat, si voluisset; & adiutorium quo in hoc statu naturæ lapsæ iusti perseverant. In qua doctrina Augustini velut clarissimo sole Ripalda prorsus caligat, & tenebras illi offundere hîc tentat: sicut & ante tentavit Disp. 5. n.53. vtens eodem planè discursu, & cum eadem verborum Augustini corruptione.

 Simili-

Similiter iterum caligat Ripalda disp. 7. n. 48. citans hęc verba Augustini de Corrept. & Grat. c. 10. *Deum sic ordinaße Angelorum, & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid poßet eorum liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratia beneficium.* Dicit enim Augustinū ibi eodem modo loqui de Angelorum ac de lapsorū hominum perseverantia, & inter vtrosque omninò parem constituisse ordinationem. Quod adeò clarè falsum esse liquet ex ijs quæ tum in isto, tum in sequentibus capitibus docet Augustinus, vt cœcus sit qui non videat.

§. III.

Mutat Textum Augustini.

RIPALDA DISP. 5. N. 46. EX AVGVST.

Sed post illam ruinam maior est misericordia, quando & ipsum liberum arbitrium liberum *est à servitute, cui dominatur cum morte peccatum.*

AVGVSTINVS ENCHIRID. C. 106.

Sed post illam ruinam maior est misericordia, quando & ipsum liberum arbitrium liberandum *est à servitute, cui dominatur cum morte peccatum.*

Hoc loco Ripalda post, *arbitrium*, substituit *liberum* pro *liberandum*.

Ibidem paulò infrà mutilat Augustini Textum lib. de Corrept. & Grat. cap. 11. Omittendo hęc verba Apostoli intermedia: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* An fortè Ripalda nos quantumvis infirmos libentiùs audit liberos dici, quàm liberandos, quia gratiæ sufficienti omnibus, iuxta Ripaldam, semper pręsenti magis favet, liberos nos dici, quàm liberandos?

§. IV.

Mutilat Textum vt ipsius proposito meliùs congruat.

RIPALDA DISP. 7. N. 104. EX AVG. DE SPIRIT. ET LITTERA.

Consentire autem vocationi, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est, quæ res non solùm non infirmat quod dictum est: Quid habes quod non accepisti? Verùm etiam confirmat. Accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo; ac per hoc accipere & habere vtique accipientis & habentis est.

AVGVSTINVS DE SPIRITV ET LITERA CAP. 34.

Consentire autem vocationi Dei*, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propria voluntatis est. Quæ res non solùm nō infirmat, quod dictum est: Quid enim habes quod non accepisti? Verùm etiam confirmat. Accipere quippè & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo:* Ac per hoc quid habeat, & quid accipiat

Mutilat

RIPALDA	AVGVSTINVS
Mutilat hunc Textũ Ripalda omittendo hæc verba intermedia: *Ac per hoc*	piat Dei eſt: *Accipere autem & habere, vtique accipientis & habentis eſt.*

quid habeat, & quid accipiat, Dei eſt. Cur verò iſtam partem Ripalda omiſit, niſi vt veriſimiliorem redderet collectionem, quâ ex iſto loco Auguſtini colligere conatur gratiam quâ interiùs movemur à Deo ad credendum vel benè agendum, ſic relinqui in poteſtate arbitrij noſtri, vt poſſimus illi ſic diſſentire, vt cum illa componamus diſſenſum? Quam collectionem ſuam Ripalda intelligeret alienam eſſe à mente Auguſtini iſto loco, ſi perpenderet, hęc quæ immediatè ibidem ſubiungit Auguſtinus: *Iam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet; cur illi ita ſuadeatur vt perſuadeatur, illi autem non ita: duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! &c, nunquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptores.* Quæ verba apertè indicant, quòd vni perſuadeatur, vt conſentiat, alteri non; in cauſam altiorem, quàm in arbitrij volubilis determinationem, referendum eſſe.

§. V.

Omittendo negationem facit ſenſum contradictorium ſenſui Auguſtini.

RIPALDA DISP. 10. N. 26. EX LIB. 1. RETRACT. CAP. 13.	AVGVSTINVS LIB. 1. RETRACT. CAP. 13.
Quamvis & illa quæ immeritò non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à neſcientibus, vel à coactis perpetrantur, non omninò poſſunt ſine voluntate committi, quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntariè vtique peccat, *quod cùm faciendum non ſit, putat eſſe faciendum.* Ita citat hunc	*Quamvis & illa quæ* NON *immeritò non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à neſcientibus vel à coactis perpetrantur, non omninò poſſunt ſine voluntate committi: quoniam & ille qui peccat ignorans,* voluntate vtique facit, *quod cùm faciendum nõ ſit, putat eſſe faciendum.*

locũ Ripalda, vt ex eo probet D. Auguſtinum ſentire non eſſe verè & propriè peccata ea quæ fiunt contra jus naturæ ex invincibili ignorantia: cuius oppoſitum ſatis apertè docet Auguſtinus eodem loco. Sed Ripalda vt hunc locum aptet ſuo propoſito, omittit negationem quam habet Auguſtini Textus ante *immeritò*, & ſic reddit Ripalda ſenſum iſtius partis contradictorium ſenſui Auctoris. Et ne benignè interpretemur negationem iſtam prætermiſſam eſſe per incuriam Typographi, obſtat Ripalda, mox poſt citata à ſe verba inculcans & repetens: "Vbi expende, in„quit, *illa quæ immeritò non voluntaria peccata dicuntur;* vt intelligas ab Auguſtino „cenſeri *immeritò* dici peccata quæ voluntaria non ſunt, quia non ſunt propriè pec„cata quæ ſunt involuntaria. Vides hîc Lector manifeſtam Impoſturam Ripaldæ: quâ iterum eodem modo gravat Auguſtinum Diſp. 18. N. 39. Et inſuper vtroq;

loco velut cœcus & contra ſeipſum pugnans, pro eo quod Textus Auguſtini habet: *voluntate vtique facit*, ſubſtituit: *voluntariè vtique peccat.*

§. VI.

Torquet verba Auguſtini apertè contra Textum.

RIPALDA DISPVT. 9. N. 63. EX LIB. 5. CONT. IVL. C. 7.

Ripalda aſſerit Auguſtinum conceſſiſſe Iuliano quòd libido ſit homini naturalis, etiam ſecluſo peccato. Ad quod probandum adducit locum Auguſtini qui eſt in altera columna, & mox ſubdit: "En Auguſtinus concedit Iuliano, „libidinem eſſe homini naturalem, eo ſanè modo, quo à Iuliano aſſerebatur natu-„ralis, ſcilicet ſecluſo peccato, ex ſola ipſa conſtitutione naturæ.

AVGVSTINVS LIB. 5. CONTRA IVLIANVM CAP. 7.

CVm igitur libidinem & naturalem eſſe, & vinci poſſe, ambo dicamus; vtrum bonum vincamus, an malum, ipſa inter nos vertitur quæſtio.

Sed imponit hîc iterùm manifeſtè Ripalda Auguſtino, vt evidentiſſimè demonſtrant hæc quæ iſtis verbis à Ripalda citatis, vix tribus lineis interiectis præmittit Auguſtinus: *Quod autem nunc agitur, naturalem eſſe libidinem, & ego dico, quia cum illa naſcitur omnis homo; & tu multò amplius, qui dicis, quòd cum illa ſit conditus primus homo.* Quæ verba Ripalda vel non advertit, vel neglexit. Ex quibus tamen clariſſimè liquet Auguſtinum iſtis verbis quæ ſtatim ſubiunxit, & citantur à Ripalda, non intelligere libidinem homini eſſe naturalem eo modo quo dicebat Iulianus. Quia Iulianus dicebat libidinem eſſe naturalem, *quòd cum illa ſit conditus primus homo*, aſſerens illam ex principijs naturæ, non ex peccato ortam: Auguſtinus verò eam naturalem dicebat, *quia cum illa naſcitur omnis homo*, ſive, quia ineſt à nativitate, ſed contracta ex peccato Adæ, non autem ex ipſa conditione naturæ. Unde mox ſubiungit Auguſtinus, de eadem libidine loquens: *Adhuc non evigilas, vt intelligas naturam non eſſe, ſed vitium, contra quod virtute pugnamus?* Quibus verbis Auguſtinus iterum ab Impoſtura Ripaldæ ſe liberat.

§. VII.

Magno intervallo diſtantia perversè coniungit.

RIPALDA DISPVT. 14. N. 51.

„ Auguſtinus de Spiritu & Littera „ c. 31. *ait Ripalda*, ex profeſſo diſputans

AVGVSTINVS LIB. DE SPIRIT. ET LITTERA CAP. 31.

PRobat Auguſtinus hoc capite fidem eſſe in noſtra poteſtate: & poſtquam dixiſſet

„putans, vtrùm fides sit in nostra pote-„state, seu libertate, post multa conclu-„dit: *Profectò fides in potestate est. Sed cùm potestas datur, non necessitas imponitur, vt cùm David Saulis occidendi potestatem ac-„cepisset, maluit parcere quàm ferire.* Ergo „potestas libera credendi excludit ne-„cessitatem oppositam indifferentiæ nō „credendi, sicut potestas occidendi Sau-„lē in David relicta fuit soluta à neces-„sitate occidēdi, & indifferens ad nō oc-„cidendū. Hęc Ripalda; sed pessimâ fide.

Primò namque, ea quę in Textu Augustini magno intervallo distant, Ripalda in sua citatione tanquam immediatè sibi cohęrentia coniungit. Nam inter istam partem: *Profectò fides in potestate est*, & hanc: *sed cùm potestas datur* &c. interiacent apud Augustinum novemdecim lineę. Secundò, cùm hęc sententia: *sed cùm potestas datur* &c. prolata sit ab Augustino immediatè ad declarandum, quòd licet potęstas crucifigendi Christum fuerit Pilato data, non tamen propterea imposita fuerit ei necessitas id agendi, Ripalda istam sententiam citat tanquam prolatam immediatè ad declarandam indifferentiam voluntatis sub gratia constitutę ad volendum & nolendum credere. Quò etiam trahit exemplum Davidis tanquam allatum ab Augustino etiam proximè ad eundem finem, & insuper mutat interpunctionem Textus, & particulam *vnde in vt*, hâc arte efficiens, vt maiori verisimilitudine videatur dictūm Davidis exemplum proximè allatum ab Augustino ad probandam prędictam voluntatis indifferentiam. Denique fallitur hîc Ripalda non satis distinguens voluntatem, & potestatem, & non intelligens Augustinum hoc loco tantùm loqui de ea necessitate quę non obedit voluntati, sive, vt eam describit idem Augustinus lib. 1. de Civit. cap. 10. *quæ non est in nostrâ potestate, sed etiamsi nolumus, efficit quod potest.* Quod & in alijs locis pluribus Ripaldæ accidit, vt mox iterum notamus.

dixisset hoc quemq; in potestate habere: *quod si vult, facit: si non vult, non facit*, paulò post subiungit:

Vide nunc vtrùm quisque credat si noluerit: aut non credat si voluerit. Quod si absurdum est: Quid est enim credere nisi consentire verum esse quod dicitur? Consensio autem vtique volentis est: profectò fides in potestate est. *Sed sicut Apostolus dicit; non est potestas nisi à Deo.*

Ac deinde multis interiectis de mala voluntate, & potestate malam voluntatem exequendi, & speciatim de potestate Pilati ad crucifigendum Christum, & Christi responso: *Non haberes in me potestatem, nisi data esset tibi desuper*, subiungit Augustinus: Sed cùm potestas datur, non necessitas vtique imponitur. VNDE *cùm David Saulis occidendi potestatem accepisset, maluit parcere quàm ferire.*

§. VIII.

Vrget Textum contra ea quæ sequuntur.

Ripalda iterum Disput. 14. n. 51.

EX hoc opposito loco probat iterum Ripalda libertatē ab omni necessitate solutā esse debere. Vnde verbis istis Augustini à se citatis immediatè subdit: "En quoties, *inquit*, removet necessitatem à libertate, quæ coronam meretur, & quam constanter doceat eam nullo necessitatis vinculo adstrictam esse debere. Sed hîc hallucinatur Ripalda non attendens ad ista quæ ibidem statim subdit Augustinus: *Quod autem ex vitijs naturæ, non ex conditione naturæ sit quædam peccandi necessitas, audiat homo, atque vt eadem necessitas non sit, discat Deo dicere: De necessitatibus meis educ me.* Quibus verbis manifestè docet Augustinus hominem in statu naturę corruptę pati aliquam necessitatem ad malū, si gratia Dei ipsi desit. Et propterèa locum Hieronymi sibi objectum à Pelagio, intelligit Augustinus de naturâ nostrâ provt à Deo primùm & sine vitio condita est. Deinde (quod Ripalda iterum non advertit) loquitur hìc Augustinus de eâ necessitate quæ voluntati nostræ non obedit, vt supra dicebamus: qualis non est ista determinatio ad volendū bonū, quam Deus per suam gratiam operatur in nobis prædeterminando nostram voluntatem: vt manifestè indicant ista verba Augustini: *Sed in rectè faciendo, ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis*: quæ, iuxta Augustini doctrinam varijs in locis ab eo traditam, etiam in Beatis locum habent; in quibus tamen voluntas non manet proximè indifferens ad amandum Deum & non amandum, vt etiam docet Ripalda.

Augustinus Lib. de Nat. & Grat. c. 66.

QVod ait (Pelagius) *à memorato dictum esse presbytero*, Hieronymo; *liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin vbi necessitas, nec corona est: quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturā? Sed in rectè faciendo, ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.*

§. IX.

Imponit iterum Augustino apertè contra Textum.

Ripalda iterum Disput. 14. n. 51.

ALio rursus testimonio Augustini probat Ripalda voluntates nostras; sive libertatem nullo necessitatis vinculo

Augustinus lib. 5. de Civit. Dei c. 10.

NEc illa necessitas formidanda est, quā formidando, Stoici laboraverunt causas rerum ita distinguere, vt quasdam subtraherent

vinculo adstringi." Item, *inquit*, lib. 5. de „civit. c. 10. scribit Augustinus: *Stoicos in his causis, quas sub necessitate esse noluerũt, posuisse voluntates nostras, ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati.* Quod „ Augustinus, *addit Ripalda*, non impro-„ bat, sed plaudit.

Examina Lector alteram columnam, in qua expressimus integrum Augustini Textum, vt Imposturæ Ripaldæ meliùs appareant. Vide inprimis, ubi plaudat Augustinus, & an probet quod Ripalda ei imponit: voluntates scilicet nostras sub nulla necessitate esse posse salvâ libertate. Refert primò Augustinus sententiam Stoicorum, & rationem ipsorũ: ac deinde (quod Ripaldam falsitatis arguit) vt ostendat non omnem necessitatem libertati contrariam esse, distinguit necessitatem in duas species: quarum

rent necessitati, quasdam subderent: itaque in his quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati. Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis: manifestum est voluntates nostras, quibus rectè vel perperã vivitur, sub TALI *necessitate non esse. Multa enim facimus, quæ si nollemus, non vtique faceremus. Quò primitus pertinet & ipsum velle. Nam si volumus, est: si nolumus, non est. Non enim vellemus, si nollemus. Si autem illa definitur esse necessitas, secundũ quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam Dei, & præscientiam* Dei *sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse esse Deum semper vivere, & cuncta præscire.*

prima est quæ facit vt res non sit in potestate nostra, sive *quæ etiamsi nolumus efficit quod potest*, qualis est necessitas moriendi: & hanc fatetur Augustinus adversam libertati. Altera est, *secundùm quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid vel ita fiat*, non tamen efficit quod potest etiamsi nolumus: & de hac dicit Augustinus non esse formidandum, ne nobis auferat libertatem voluntatis. Quam distinctionem necessitatis Ripalda satis advertit (nam disput. 16. n. 56. eam explicat, suo tamen, non Augustini sensu) sed illam hîc callidè dissimulat, unam tantum partem Textus ita citando, & urgendo, vt hinc Lector non aliud apprehendat, quàm quod omnem necessitatẽ absq; discrimine Augustinus isto loco removeat ab humanis voluntatibus.

Quod iterum Ripalda simili arte facit Disp. 18. n. 30. ubi enim Augustinus habet: *Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis: manifestum est voluntates nostras quibus rectè vel perperam vivitur, sub* TALI *necessitate non esse*: Ripalda omissis prioribus, & deinde in verbis quæ citat suppressa voce, TALI (quæ clarè ostendunt Augustinum ibi agere de certa specie necessitatis, non de qualibet) posteriorem partem istius sententiæ quasi absolutè positam, & vt ab Augustino de qualibet necessitate assertam, hunc in modum citat: *Manifestum est voluntates nostras quibus rectè vel perperam vivitur, sub necessitate non esse.* Quis non simili arte quidlibet imponat Sanctis Patribus, cum aliquo colore veritatis, maximè apud imperitos?

§. X.

Inserit verba sua textui Augustini.

RIPALDA DISPVT. 18. N. 28.

Q*Vi motus si culpæ deputatur, voluntarius est*, & in potestate volũtatis, *in eoque similis, est illi motui quo deorsum* &c.

Et infra:

Propterea quid opus est quærere, vnde iste motus existat, cùm eum non nisi animi, & voluntarium, atque in nostrâ positum potestate, *& ob hoc culpabilem esse fatemur vt eo motu improbato atque cohibito voluntatem nostram ad fruendum sempiterno bono, ab* amore *temporalium convertamus.*

Ita hos duos textus citat Ripalda variè mutilatos, & vtrique inserit sua verba: primo quidem hanc partem: *Et in potestate voluntatis*: secundò autem hanc partem: *atque in nostrâ positum potestate.*

AVGVSTINVS LIB. 3. DE LIB. ARBIT. C. I.

Q*Vi motus si culpæ deputatur*, vnde qui dubitat, irrisione dignus tibi visus est, non est utique naturalis sed voluntarius: *in eoque similis illi motui quo deorsum lapis fertur* &c.

Et paulò infra.

Propterea quid opus est quærere, vnde iste motus existat, quo voluntas avertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum, *cum eum non nisi animi, & voluntarium, & ob hoc culpabilem esse fateamur*, omnisque de hac re disciplina vtilis ad id valeat, *vt eo motu improbato atque cohibito, voluntatem nostram ad fruendum sempiterno bono*, à lapsu *temporalium convertamus.*

Quod existimamus ipsum ideo fecisse, vt faciliùs persuaderet Lectori quòd omnis motus voluntarius debeat esse indifferens ad opposita: nam ubicumque audit nomen *potestatis*, contendit importari potestatem moralem, quæ sit indifferens ad opposita.

§. XI.

Capit obiectionem pro sententia resolutiua, & ei coniungit alia verba valde distantia

RIPALDA DISP. 23. N. 117.

SEmper præsentem esse homini eam gratiã quâ præcepta implere possit, probat Ripalda, "Quia alioquin opposi-„tum agens, quod sine gratia vitare non „potest

AVGVSTINVS LIB. DE NAT. & GRAT. C. 67.

V*Eniamus ad nos: Iterum, inquit* (obiectio est Pelagij) *Augustinus Episcopus in libris de libero arbitrio: quæcunque ista*

,,potest, minimè peccaret, vt ipse Augu-,,stinus tradit, *inquit*, lib. de Nat. & Grat. ,, cap. 67. *Quacumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est vt caveri omninò non possit? Si ita est, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest? Peccatur autē: caveri igitur potest. Sive ergo immineat tētatio, sive insit, caveri potest.* Ex quibus immediatè infert Ripalda: "Ergo ,,qui peccat agens opus prohibitū, prę-,,ditus est gratia sufficienti, quá illud cavere possit.

ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est, vt caveri omninò non possit? Si ita est, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod caveri nullo modo potest? Peccatur autem, caveri igitur potest. Agnosco, verba mea sunt, sed etiam ipse dignetur agnoscere superiùs cuncta quæ dicta sunt, &c.

Et post multa:

Sive ergo immineat, sive insit, caveri potest.

Sed ista Ripaldæ collectio nititur multis fallacijs. Nam inprimis verba ista postrema: *Sive ergo immineat* &c, quæ Ripalda immediatè connectit prioribus, distant ab his apud Augustinum sedecim integris lineis. Deinde verba ista priora proponuntur hîc ab Augustino tanquam sibi obiecta à Pelagio ex lib. 3. de Libero arbitrio, quæ Ripalda citat tanquam assertivè hoc loco posita. Et quàmvis Augustinus dicat hîc se ista verba pro suis agnoscere, ad ea tamen sic respondet, vt eius responsio planè evertat collectionem Ripaldæ. Ubi quòd hanc responsionem aggrediens, Pelagio dixit Augustinus, posset respectivè dici & Ripaldæ: *Agnosco, verba mea sunt, sed etiam ipse dignetur agnoscere superiùs cuncta quæ dicta sunt.* Inter quæ vnum est istud cap. præcedenti: *Quod autem ex vitijs naturæ, non ex conditione naturæ sit quædam peccandi necessitas, audiat homo, atque vt eadem necessitas nòn sit, discat Deo dicere: De necessitatibus meis educ me.* Item illud cap. 22. *Nec cogitat prævaricatorem legis quàm dignè lux deserat veritatis; quá desertus vtique fit cæcus, & plus necesse est offendat* &c.

Porrò cuipiam mirum videri potest, cur Ripalda hunc locum Augustini: *Quæcumque ista causa est voluntatis* &c. citaverit ex libro de Nat. & Grat. vbi tantùm per modum obiectionis factæ à Pelagio ponitur; & non potiùs ex libro 3. de Libero arbit. c. 18. Vbi ab Augustino absolutè asseritur. Sed causa in promptu est: quia nimirum in hoc libro de Libero arbit. Augustinus istis verbis suis immediatè subijcit: *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda iudicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apostolus: Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Ait & Propheta: Delicta iuventutis, & ignorantiæ meæ ne memineris. Sunt etiam necessitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere, & non potest* &c. *Sed hæc omnia hominum sunt, ex illa mortis damnatione venientium: Nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt*: quæ omnia collectioni Ripaldæ apertè adversantur.

§. XII.

Designat Ripalda varia loca Augustini, imponens ei contrarium eius quod in iisdem locis Augustinus docet.

DIsputat. 9.n. 24. Ripalda dicit Augustinum lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 10. & lib. 6. contra Iul. cap. 10. vel potiùs 23. docere Paulum isto loco ad Rom. 7. *Nunc autem iam non ego operor illud* &c. non suam propriam iusti, sed alienam peccatoris personam induere. Cuius oppositum vtroque isto loco expresse docet Augustinus, ibidem retractans quod alibi aliter antè docuerat.

Item Disput. 18. n. 35. citat cap. 65. & 67. lib. de Nat. & Grat. & caput 10. lib. 5. de Civit. Dei: Insuper caput. 14. lib. de Vera Religione, & caput 1. cum seqq. lib. de perfect. Iustitiæ: Ubi dicit Augustinum admittere quod hæc definitio peccati ab eo tradita lib. de duabus Animabus: *Pecatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere*, conveniat omni propriè dicto peccato, etiam naturæ lapsæ. Quod D. Augustinus nullo istorum locorum docet, sed potiùs ex illis ipsis locis contrarium sentire convincitur. Videat Lector & iudicet, & simul conferat caput 14. libri de Vera Religione cum cap. 13. lib. 1. Retract. vbi explicat Augustinus locum ad quem Ripalda hîc respicit.

Credendum est autem Ripaldam in lib. de Perfect. Iustitiæ c. 1. & seqq. accepisse pro verbis Augustini obiectiones Celestij Pelagiani, in quibus ibi contendit Celestius peccata, à nobis nullâ necessitate committi, sed semper caveri posse; alioquin non fore peccata. Cui reponit Augustinus cap. 2. *Respondemus vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. In tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet.* Et cap. 4. *Per arbitrij libertatem factum vt esset homo cum peccato; sed iam pœnalis vitiositas subsequuta ex libertate fecit necessitatem. Vnde ad Deum fides clamat: De necessitatibus meis educ me. Sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus nec valemus implere.* Item cap. 6. *Peccatum est autem cùm vel non est charitas quæ esse debet, vel minor est quàm debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit: & tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adiuvatur.* Quid clarius contra plerasque Ripaldæ Imposturas circa varia loca Augustini, à nobis hactenus repræsentatas? Sed videamus quomodo tractet alios Patres.

§. XIII.

§. XIII.

Falſificationes Textus D. Hieronymi.

Imponit Hieronymo mutilando Textum.

RIPALDA DISPVT. 20. N. 23.

PRobat hîc Ripalda ex oppoſito loco Hieronymi, gentes etiam Infideles naturaliter ea quæ legis ſunt feciſſe, juxta illud Pauli ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt.* " Apoſtolum, *inquit Ripalda*, eo eloquio comprehendiſſe gen„tes etiam Infideles, aſſertor eſt Hiero„nymus ad caput 24. Iſaiæ, dicens: *Audiant Iudai, qui ſe ſolos legem accepiſſe gloriantur, quòd univerſæ primùm gentes, totuſque orbis naturalem acceperit legem. De qua Apoſtolus loquitur: cum enim gentes quæ legem non habent* &c. ita Ripalda.

HIERONYMVS IN CAP. 24. ISAIAE AD ILLVD: quia tranſgreſſi legem ſunt &c.

A*Vdiant Iudæi, qui ſe ſolos legem accepiſſe domini gloriantur, quòd univerſæ primùm gentes, totuſque orbis naturalem acceperit legem;* Et idcirco poſtea lex data ſit per Moyſen, quia prima lex diſſipata eſt. *De qua Apoſtolus loquitur: Cum enim gentes quæ non habent legem, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, iſti legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.*

Sed manifeſtè fallitur, & fallit ſuo more. Non enim dicit hoc loco D. Hieronymus univerſas gentes ea quæ legis ſunt, feciſſe; ſed dicit univerſas naturalem legem accepiſſe, quod à priori longè differt. Nihilominùs, vt Lector apprehenderet D. Hieronymum cenſuiſſe, quod etiam iſtud prius, nempe *ea quæ legis ſunt, feciſſe*, Apoſtolus tribuerit gentibus quoq; incredulis, Ripalda mutilavit Textum, omittendo hæc verba intermedia: *Et idcirco poſtea lex data ſit per Moyſen; quia prima lex diſſipata eſt.* Quibus verbis apertiſſimè ſignificat Hieronymus, legem naturalem datam univerſis gentibus, obſervatam ab illis non fuiſſe, nec eas quæ legis ſunt feciſſe. Deinde quod D. Hieronymus iſta verba Pauli: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt* &c. non extendat ad gentes incredulas, manifeſtum eſt ex his quæ iſtis verbis Pauli immediatè ſubiungit: *qui igitur has leges obſervaverint, præmia conſequentur.* Hinc enim liquet Hieronymum iſta verba Pauli: *Ea quæ legis ſunt, faciunt*, intelligere de obſervatione legis fructuoſa & meritoria, qualis non poteſt eſſe, niſi ex fide.

§. XIV.

§. XIV.

Falsificationes Textus D. Ambrosij.

Imponit hic Ambrosio quod suprà Hieronymo, & corrumpit Textum.

RIPALDA DISPVT. 20. N. 24.

PRobat etiam Ripalda ex D. Ambrosio illud Pauli: *Naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt*, etiam ad gentes infideles pertinere; locum ita citat.

Lex autem gemina est, naturalis, & scripta. Naturalis in corde, scripta in tabulis. Omnes ergo sub lege, sed naturali. Sed non est omnium, vt vnusquisque sibi sit lex. Ille autem sibi lex est, qui facit sponte, quæ legis sunt, & in corde suo scriptum opus legis ostendit. Primum natura ipsa boni operis magistra est. Scis non furandum, & furaris, non adulterandum, & adulteras. Quibus verbis, Ripalda censet Ambrosium luculenter exprimere, Paulum, sicut suo sermone legem naturalem omnibus hominibus communem comprehendit, ita etiam sub eis, qui *ea, quæ legis sunt, faciunt*, omnes homines, quibus natura magistra est, siue credentes, siue non credentes comprehendisse.

Sed hic iterum fallax & falsus est Ripalda. Quod vt Lector videat, conferat primò citationem Ripaldæ cum vero Textu Ambrosij in 2. columna, & aduertat quomodo istum Textum mutilet circa medium, omittendo aliquot lineas quæ ipsi aduersantur. Deinde quomodo rursus in fine eundem Textum mutilet & corrumpat. Denique examinet, an in isto Textu Ambrosius vel leviter insinuet, illud Pauli: *naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt*, dictum esse etiam de gentibus incredulis, quod Ripalda asserit ab Ambrosio luculenter hic doceri. Quod tam procul distat à vero, vt oppositum sit manifestũ.

AMBROSIVS LIB. DE FVGA SOECVLI C. 3.

L*Ex autem gemina est, naturalis & scripta. Naturalis in corde, scripta in tabulis. Omnes ergo sub lege, sed naturali. Sed non est omnium, vt vnusquisque sibi sit lex. Ille autem sibi lex est, qui facit sponte quæ legis sunt & in corde suo scriptũ opus legis ostendit.* Habes quæ bona legis sint, quæ tamen non solùm scire vel audire perfunctoriè, sed etiã facere debemus. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Cognovisti etiam quæ mala sint. *Primum natura ipsa boni operis magistra est. Scis non furandum*, & servum tuum si furtum tibi fecerit, verberas: & si quis ad uxorem tuam affectaverit, persequendũ putas. Quod ergo in aliis reprehendis, ipse committis? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non adulterandum, adulteras?

Per-

Perpendenda sunt ista verba Ambrosij : *Sed non est omnium, vt vnusquisque sibi sit lex. Ille autem sibi lex est, qui facit sponte quæ legis sunt, & in corde suo scriptum opus legis ostendit*; ac deinde ea quæ subiunguntur, & Ripalda omisit : vbi Ambrosius monet nos ea quæ sunt legis, non tantum scire, sed etiam facere debere; & quod factores legis iustificabuntur : quæ omnia clamant D. Ambrosium verba ista Pauli : *naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt*, intelligere de factione salutari & conducente ad salutem, adeoque ista pertinere dumtaxat ad gentes fideles.

§. XV.

Falsificationes Textus Hilarij.

Fallit Lectorem mutilando & truncando textum.

RIPALDA DISPVT. 18. N. 60.

„ Hilarius, *ait Ripalda*, ad Psal. 2. „ *Tunc loquetur ad eos in ira sua*, sic „ explicat : *Vnicuique nostrûm libertatem vitæ, sensumque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens. Quid enim honoris, ac præmij, bonitatis necessitas mereretur?* „ Argue, *subdit Ripalda*, à contrario: „Nam si necessitas deturbat à nostris „operibus bonitatē moralem, meritum, „honorem, & præmium ; pariter quòq; „moralem malitiam, demeritum, vitu- „perationem, & supplicium. Ita Ripalda.

HILARIVS IN PSAL. 2.

Nam vnicuique nostrum libertatem vitæ sensusque permisit, non necessitate in alterutrum affigens, vt vnumquemq; ex natura bonum, malumvè esse lex cogeret : sed qui nos per benevolentiam vtendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id meritum vitę innocentis, honestæque constituit. *Quid autem honoris ac præmij bonitatis necessitas mereretur*, cùm malos nos esse vis quædam nobis conserta non fineret?

Sed iterum malâ fide. Mutilat enim Textum Hilarij, & truncat in fine, ne Lector advertat de qua necessitate Hilarius hîc loquatur. Qui inprimis loquitur de necessitate quæ sit nobis à Deo insita cum ipsa natura, non autem de ea quæ sit tantùm ex peccato contracta : deinde loquitur de necessitate coactiva (qualem Manichęi asserebant) quę voluntatem sic in partem vnam agit, vt eripiat ei dominium sui actus ; sicut vtrumque manifestè declarant ista circa initium per Ripaldam suppressa : *Vt vnumquemque ex natura bonum, malumve esse lex cogeret* &c. Et deinde ista in fine ab eo truncata : *Cùm malos nos esse vis quædam nobis conserta non fineret.* Quod autem possit esse aliqua necessitas, quæ non sinat nos malos esse, salvis libertate & merito, in bonis operibus nostris, patuit in

 Chri-

Christo qui mereri potuit, & tamen non poterat peccare. Similiter quod possit esse quædam necessitas contracta ex peccato, quæ salvis libertate & morali malitia ac vituperio in operibus nostris, non sinat nos bonos esse, si fortè ex peccati pręcedentis merito gratia Dei nobis desit, patet exemplo dæmonum & omnium damnatorum, qui in malo sunt ita obdurati, vt non possint bonum velle. Pergit Ripalda fallere in eadem materia.

§. XVI.

Falsificationes Textus D. Chrysostomi.

Mutilat Ripalda Textum & æquivocationem facit.

RIPALDA DISPVT. 17. N. 81.

PRobat Ripalda ex Chrysostomo Christum nullam habuisse necessitatem moriendi: sive indifferentis fuisse voluntatis ad volendum & nolendum mori. "Eam indifferentiam, *inquit*, testa„tur Chrysostomus ad Hæb. 12. Hom. „28. illa verba: *Proposito sibi gaudio susti„nuit crucem c[...]ione contemptâ*, sic ex„ponens: *Hoc est, licebat illi, nihil pati, si voluisset. Erat igitur arbitrij illius, si voluisset, non venire ad crucem. Potestatem quippe habeo, inquit, ponere animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Igitur qui nullam habuit necessitatem vt crucifigeretur, crucifixus est propter nos. Quæ postrema verba vrgens Ripalda: "Omnem, „*inquit*, excludit necessitatem moriendi, cùm nullam admittit, atque adeò e„tiam indifferentiæ contrariam.

D. CHRYSOSTOMVS HOM. 28. IN C. 12. AD Hæbr. ad illud: *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem.*

H*Oc est licebat illi nihil pati, si voluisset:* Non enim peccatum fecit neque dolus inventus est in ore ipsius, sicut & ipse dixit in Evangelio: Venit princeps mũdi huius, & in me non habet quicquam. *Erat igitur arbitrij illius si voluisset, non venire ad crucem. Potestatem quippe habeo, inquit, ponere animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* SI *igitur qui nullam habuit necessitatem vt crucifigeretur, crucifixus est propter nos*, quantò magis nos iustum est omnia fortiter tolerare?

Hîc rursus infidelis est Ripalda, iisdem ferè modis, quibus iam proximè antè. Primò enim truncat in fine sententiam, & suppressâ notâ conditionali, mutat sensum. Secundò, quod præcipuum est, omittit circa initium hęc verba: *Non enim peccatum fecit, neque dolus inventus est in ore ipsius, sicut & ipse dixit in Evangelio: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*: ne iterum Lector advertat de qua necessitate hoc loco sit sermo. Verba enim ista continent rationem istius quod infert

fert Chrysostomus: *Igitur qui nullam habuit necessitatem vt crucifigeretur* &c. Et proinde declarant Chrysostomum hîc agere de necessitate illa moriendi, cuius causa est peccatum: quę vel est indigentia quâ indiget quis mori vt peccatū suū expiet, vel reatus pœnæ, vel etiam inevitabilis moriendi necessitas, qualem nos ex peccato Adami contraximus, & superare non possumus, quantumvis velimus. Quas omnes moriendi necessitates à Christo, qui nullum peccatum fecit, abfuisse Chrysostomus hoc loco docet, non tangens illam difficultatem, An humana Christi voluntas sic fuerit indifferens ad volendum, & nolendum mori, vt supposito iam præcepto moriendi à Deo patre ipsi imposito, & spectatis omnibus rationibus ac motivis quę suadebant & ipsum inclinabant, vt pro humani generis redemptione mortem amplecteretur, potuerit equidem nolle mori. Unde impertinenter, & simul dolosè Ripalda hunc locum Chrysostomi adfert, ad probandum indifferentiam voluntatis ad volendum & nolendum, necessariam esse ad libertatem.

§. XVII.

Falsificationes Textuum D. Prosperi.

Corrumpit Textum, & imponit Prospero sententiam Cassiani Semipelagiani, quam Prosper impugnat.

Ripalda Disp. 8. n. 202.

PRobat Ripalda proximè subiecto testimonio Prosperi, nobis inesse virtutes naturales, per quas absque auxilio gratiæ operamur opera virtuosa & moraliter bona, sed inutilia ad salutem. *Nunquid virtutum semina, quæ naturaliter habebamus inserta, opitulatione sua excitavit in nobis? Sed ait 2. Petri 1. qui nunc omnia nobis, quæ ad vitã æternã, & pietatẽ donavit.* Quibus verbis ita corruptè citatis statim Ripalda subijciens suã interpretationẽ: "Excludit, *inquit*, testimonio Petri, ab „opitulatione, & auxilio gratiæ virtu„tes naturales, & eas solas, quæ ad vitã „conferunt æternam, refert ad illam.

D. Prosper contra Collatorem Cap. 29.

B*Eatus Petrus Apostolus*: gratia vobis, *inquit*, & pax adimpleatur in recognitione Domini nostri Iesu Christi, qui nunc omnia nobis divina virtute sua, quæ ad vitàm & pietatem pertinent donavit. *Nunquid ait*: Qui virtutum semina, quæ naturaliter habebamus inserta, opitulatione sua excitavit in nobis? *Sed ait*: qui nunc omnia nobis quæ ad vitam & pietatem pertinent, donavit. *Quod dicendo, cuius virtutis nihilum in natura posuit, quod non ab eo collocatum sit, qui cuncta donavit?*

Admiranda hîc est Ripaldæ hallucinatio, aut certè pessima fides. Imponit enim

 Pros-

Prospero id quod Prosper isto loco manifestè impugnat. Agit enim ibi D. Prosper contra Collatorem qui dicebat inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio creatoris inserta. Verba Collatoris sunt: *Dubitari ergo non potest, inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio creatoris inserta: sed nisi hac opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire.* Quam Collatoris sententiam refellere incipiens D. Prosper: *Si dubitari non potest*, inquit, *inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta: solus Adam prævaricatus est, & in peccato eius nemo peccavit* &c. Ac deinde postquam eandem sententiam multis argumentis toto cap. 27. & 28. impugnasset, illã c. 29. impugnans testimonio B. Petri, interrogat: *Nunquid ait* (nempe D. Petrus) *Qui virtutum semina quæ naturaliter habebamus inserta, opitulatione sua excitavit in nobis?* subaudi, *minimè. Sed ait: qui nunc omnia nobis quæ ad vitam & pietatem pertinent, donavit. Quod dicendo* &c. At Ripalda in tanta luce caligans, amputatis ex Textu Prosperi duabus particulis, *ait*, & *qui*, locum hunc ita citat & vrget, tanquam si Prosper ibi sentiret, & assereret naturaliter nobis inesse virtutum semina: quod ipsum impugnat Prosper per tria capita.

Turpiùs adhuc hallucinatur Ripalda circa alterum locum eiusdem Prosperi, quẽ huic subijcimus.

§. XVIII.

D. Prosper Carmine de Ingrat. c. 10.

Cap. 10. *Nunc igitur, quoniam quid nostris displicuisset,*
Ostensum est: quàm sana fides sit vestra, patescat.
Gratia quâ Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum, & formam hanc adscribitis illi:
Vt cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec vllum
Præteriens, studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum.
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti:
Judicioque suo motâ se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat vlli:
Sed cupidos recti iuvet, illustretque volentes.
Hinc adiutoris Domini bonitate magistrâ
Crescere virtutum studia, vt quod quisque petendum

Mandatis

Mandatis didicit, iugi sectetur amore.
Esse autem edoctis istam communiter æquam
Libertatem animis, vt cursum explere beatum
Persistendo queant: finem effectumque petitum
Dante Deo, ingenijs qui nunquam desit honestis.
Sed quia non idem est cunctis vigor, & variarum
Illecebris rerum trahitur dispersa voluntas,
Sponte aliquos vitijs succumbere, qui potuissent
A lapsu revocare pedem, stabilesq; manere.
Cap. 11. *Iam quia summatim, vt potuit, sententia vestra*
Decursa est: Dic vnde probes quòd gratia Christi
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum, vitamque beatam
Impertiri velit? &c. Hactenus Prosper.

RIPALDA. DISPVT. 23. N. 84.

Ex præcedentibus Versibus arripit Sententiam Semipelagianorum pro Sententia Prosperi & Catholica.

„RVrsus mens Augustini, *ait Ripalda*, & veritas nostræ doctrinæ (*De Gratia* „*sufficienti omnibus hominibus communi*) colligitur manifestè ex scriptis discipu„lorum eius. Perpetuus, *inquit*, in ea asserenda fuit Prosper, gratiam Dei omnibus „hominibus generalem deprædicans. Quod postquam conatus est Ripalda ostendere ex pluribus testimoniis Prosperi contra mentem ipsius expositis, subdit n. 87. "Ex quibus indubitatum est, *inquit*, constantem fuisse Prosperi mentem in asse„renda gratia auxiliante Dei purè sufficienti, quippè omnibus etiam non coope„rantibus communi. Quod rursus, *ait*, pulchrè cecinit Lib. de Ingratis c. 10. „differens de Gratia quam Ecclesia Catholica profitetur:

Vt cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec vllum
Præteriens, studeat communem afferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum.

Sed

Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Iudicioque suo motâ se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat vlli.

Quibus versibus Prosperi exultabundus, & cum magno applausu mox Ripalda subijcit: "Audis gratiam Dei cunctos vocare, nullum præterire, nulli subtrahi, „& in omnium arbitrio, eius obedientiam constitui; ideoq; inobedientiam ad „culpam deputari?

Quis hîc iterùm non admiretur Ripaldæ cæcitatem? Attende tu Lector ad istos versus Prosperi, quos suprà citamus, & perspicies quàm enormiter Ripalda erret. Refert enim ibi Prosper & describit toto cap. 10. sententiam adversariorum, quam Ripalda pro sententia Prosperi rapit. Refert Prosper quid Semipelagiani de Gratia & Libero arbitrio sentirent; Ripalda dicit Prosperum ibi disserere de Gratia quam Ecclesia Catholica profitetur. Refellit Prosper cap. 11. & seqq. sententiam istam quam cap. 10. descripserat: Ripalda eandem sententiam suam facit. Si ergo ista est Ripaldæ sententia, quę ibidem à Prospero describitur; Ripalda cum Semipelagianis sentit.

§. XIX.

Falsificationes Textuum Fulgentij.

Accipit verba in obiectione adversariorum posita pro verbis Fulgentij.

Ripalda disput. 8. n. 198.

Fallitur etiam sæpiùs, vel fallit Ripalda cùm citat B. Fulgentium; & potissimè vbi ex eo probare conatur, dari aliqua opera virtuosa & moraliter bona, quæ sine adiutorio gratiæ fiant tum à fidelibus, tum ab infidelibus: quas Ripaldæ falsitates ostendemus per aliquot exempla hîc subiecta.

Primum est hoc loco, vbi citat tanquam Fulgentij verba: *Nullus est qui naturaliter possit aliquid boni velle, quod pertinet ad vitam æternam.*

Fulgentius lib. de Incarnat. et Grat. c. 21.

Miramur autem quosdam dicere: Si volentes Deus facit vt velint credere, nullus autem est qui naturaliter posset credere in filio Dei, aut aliquid boni velle quod pertinet ad vitam æternam, cur ergo non facit omnes velle, cùm non sit personarum acceptor Deus? *Ex quibus verbis quæ litteris vestris indita sunt* &c.

Ex quibus immediatè Ripalda infert: "Ergo bonum est quòd possit naturaliter velle, non pertinens ad „vitam æternam.

Vbi Ripalda bis fallitur: Primò circa suum antecedens, dum citat verba adversariorum tanquam verba Fulgentij ab eo hîc asserta: Nam licet ista sententia: *Nul.*

* *Nullus est qui naturaliter &c.* verissima sit, non tamen asseritur hoc loco à Fulgentio, sed refertur tantùm tanquam pars obiectionis ab adversarijs factæ; sicut secunda columna clarè demonstrat. Quam obiectionem dicit Fulgentius se mirari, & postea diluit. Secundò fallitur Ripalda circa stupidam consequentiam, quam ex dictis verbis facit. Aliud quippe est, bonum velle; aliud, bonum benè velle: primum posse hominem naturaliter sine adiutorio gratiæ, nemo ambigit; posse verò posterius absque auxiliante Dei gratia, D. Augustinus negat. Contra quem nihil & ridiculè concludit Ripalda ex verbis supra citatis.

§. XX.

Non intelligit Fulgentium, & ad pravum sensum verba eius trahit.

RIPALDA DISP. 20 N. 70.

„MEntem Augustini, *quòd dentur ante fidem opera moraliter bona expertia omnis malitiæ*, probant, *ait Ripalda*, discipulorum testimonia Fulgentius de Incarnat. & Grat. c. 17. sic habet: Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit *Act. 2. Nempe cùm ipse Salvator noster, propria vocis imperio, humanam convertit voluntatem, dicens*: Pœnitemini & credite Evangelio. *Claret tamen, quia vt homo in Deum credere incipiat, à Deo accipit pœnitentiam ad vitam, ita vt omninò credere non possit, nisi pœnitentiam dono Dei miserantis acceperit.* "En pœnitentia prævia, *ait Ripalda*, providetur gentibus medium ad suscipiendum fidem, quæ eatenus in potestate gentium constituta est, quatenus suorum scelerum pœnitentes in iustificationem & fidem perveniant. Ergo ante fidem præcedit pœnitentia, quâ disponantur infideles ad fidem. Hæc Ripalda.

FVLGENTIVS IBIDEM C. 17.

OMnesq́; vnanimes, vno ore in Beati Petri sententiam transierunt, dicentes: Ergo & gentibus Deus pœnitētiam ad vitam dedit. *Nempe cùm ipse Salvator noster propria vocis imperio humanam convenit voluntatem dicens*: Pœnitemini & credite Evangelio. *Claret tamen, quia vt homo in Deum credere incipiat, à Deo accipit pœnitentiam ad vitam, ita vt omninò credere non possit, nisi pœnitentiam dono Dei miserantis acceperit.* Quæ est autem pœnitentia hominis, nisi mutatio voluntatis? Deus ergo qui homini pœnitentiam dat, ipse mutat hominis voluntatem &c.

Ubi primò in Textu Fulgentij pro *convenit*, substituit *convertit*. Et deinde collectione istâ quam ex verbis Fulgentij facit, multis involvit se erroribus. Si enim hæc eius collectio intelligatur de pœnitentia aliqua naturali antecedente fidem,

per

per quam infideles disponantur ad fidem & iustificationem, & per quam fides ponatur in eorum potestate, collectio illa ad Pelagianismum pertinet, & iniuriam infert Fulgentio, qui loco isto citato manifestè loquitur de pœnitentia quam Deus misericorditer per gratiam suam homini inspirat. Si verò intelligatur dicta collectio de pœnitentia supernaturali, & ex interiori motione Spiritus sancti profecta; hæc non præcedit fidem, sed sequitur, iuxta Concilium Trident. sess. 6. cap. 6. vbi inter actus quibus homines impij liberè moventur & disponuntur ad iustitiã, non pœnitentiam, sed fidem primam statuit.

Sed quid collectio Ripaldæ intellecta de pœnitentia quam Deus nobis inspirat, faciet ad præsentem difficultatem, in qua de operibus per solas naturæ vires factis quæstio est? Isti enim contra quos Ripalda antè citata Fulgentij verba vrget, non negant in istis qui in Christum nondum credunt, vel perfectam Dei fidem non habent, & eatenus infideles sunt, inveniri quandoque opera omnis malitiæ expertia, quæ ex illuminatione divina velut inchoatione quadam fidei, & ex Spiritus sancti transitorio impulsu, voluntates eorum tangente oriantur. Quocumque ergo Ripalda hic se verterit, hærebit in luto.

Deniique, vt Fulgentium ab omni impostura Ripaldæ liberemus, quando S. Fulgentius dicit, quòd homo *credere non possit nisi pœnitentiam dono Dei miserantis acceperit*, non loquitur de pœnitentia quæ est detestatio scelerum commissorum, vt Ripalda perversè intelligit: sed pœnitentiam vocat quamcumque mutationem voluntatis, & potissimè illam quâ homo incipit bonum velle, provt seipsum explicat verbis à Ripalda citatis immediatè subiungens: *Quæ est autem pœnitentia hominis, nisi mutatio voluntatis?* &c. Qualis mutatio tunc etiam fit cùm is qui nolebat vel non volebat credere, iam incipit velle credere, etiamsi peccata sua nondum detestetur: de qua credendi voluntate agit hoc loco Fulgentius, & multis probat (quò etiam diriguntur verba quæ citat Ripalda) illam non esse ex nobis, sed ex Deo. Vnde rursus patet quàm imperitè colligat Ripalda ex prædicto loco Fulgentij, in infidelibus ante fidem inveniri opera moraliter bona, puta detestationem scelerum; cùm pœnitentia de qua potissimè Fulgentius ibi loquitur, sit ipsa voluntas credendi; quæ ex communi omnium Doctorum sensu ad fidem pertinet.

§. XXI.

Corrumpit & mutilat Textum, & confundit legem cum Iustitia legis.

RIPALDA IBIDEM N. 72. ET DISPVT. 8. N. 250.

„FVlgentius cap. 27. de Iustitiâ legis „ait, *inquit Ripalda: Potest esse naturaliter*

FVLGENTIVS IBIDEM C. 27.

ILla quæ lex factorum est, quæ hominem iustificare non potest; quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, potest quidem

taliter & in corde Iudaeorum, & in corde gentilium, quae tamen sine fide Christi non iustificat sectatores suos. Hac vtique fuit in Paulo, quando fuit incredulus secundum amulationem persequens Ecclesiam Dei, & secundum iustitiam, quae ex lege est, conversatus sine querela. Quibus immediatè subiungit Ripalda: " Cernis, *inquit*, iustitiam legis naturalem in corde Iudaeorum atque gentilium invtilem ad iustificandum sine fide &c.

dum naturaliter esse, & in corde gentilium, & in corde fidelium Iudaeorum: quae tamen sine fide Christi nullatenus iustificat sectatores suos, sed eos tenet vinculo impietatis obstrictos. *Hac vtique fuit* in corde Pauli, *quando fuit incredulus secundum amulationem persequens Ecclesiam Dei, & secundum iustitiam, quae in lege est, conversatus sine querelâ.*

Hîc iterum magna est hallucinatio Ripaldae, & multae corruptelae Textus per eum citati. Fulgentius dicit legem naturaliter esse in cordibus tam gentilium quàm Iudaeorum. Ripalda intelligit hoc dictum de iustitia legis, sive de operibus quae iuxta legis praescriptum absque fide fiunt. Fulgentius habet: *potest quidem naturaliter esse & in corde gentilium, & in corde fidelium Iudaeorum.* Ripalda invertens ordinem & mutilans verba: *potest esse naturaliter & in corde Iudaeorum, & in corde gentilium.* Fulgentius: *in corde Pauli.* Ripalda: *in Paulo.* Fulgentius ait: *Nullatenus iustificat.* Ripalda: *non iustificat.* Fulgentius addit: *sed eos tenet vinculo impietatis obstrictos.* Ripalda haec omisit, videns illa sibi apertè repugnare, dum scilicet locum Fulgentij quem citat, intelligit de iustitia, sive operibus legis, & ex eodem loco probat tam in gentilibus quàm Iudaeis fuisse sine fide aliqua opera moraliter bona & absque labe. Quod iuxta dictum intellectum impossibile est consistere cum isto dicto Fulgentii: *Sed eos tenet vinculo impietatis obstrictos.* Hoccine est Sanctorum Patrum verba tractare ea fide, qua Doctores Catholici debent? Videat Lector Cap. V. §. 16. vbi circa alium locum Fulgentij plures Ripaldae errores ostenduntur.

§. XXII.

Falsificationes Textus S Bernardi.

Obtrudit Bernardo sua propria verba.

RIPALDA DISP. 14. N. 55.

IN materia libertatis & gratiae vix vllus inter Patres apertiùs Ripaldae repugnat quam Bernardus. Quem Ripalda cupiens sibi amicum reddere, attexuit sub eodem charactere sua verba verbis Bernardi; hoc modo eum citans: *Est*

BERNARDVS TRACT. DE GRAT. ET LIB. ARBIT.

EST verò ratio data voluntati, vt instruat illam, non destruat: destrueret autem, si necessitatem ei vllam imponeret, quo minùs libere pro arbitrio sese volveret, sive in malũ consentiens appetitui, aut nequam spiritui, vt sit

Est verò ratio data voluntati, vt instruat illã, non vt destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei vllam imponeret, quo minus liberè pro arbitriò sese volveret, sive in malum consentiens appetitui, sive in bonum gratiam sequens. Ergo sine vllo vinculo necessitatis voluntas se potest volvere, vt sequatur gratiam, atque vt gratia dissentiens, consentiat appetitui.

sit animalis, non percipiens, vel certè & persequens ea quæ sunt spiritus Dei: sive ad bonum gratiam sequens, & fiat spiritualis, quæ omnia diiudicans ipsa minimè iudicetur.

In qua citatione hæc Conclusio: *Ergo sine vllo vinculo necessitatis voluntas se potest volvere vt sequatur gratiam, atque vt gratia dissentiens, consentiat appetitui:* Verba sunt Ripaldæ, non Bernardi; quæ Ripalda velut ingenij sui fœtum, cum mutilatione & truncatione veri Textus Bernardi, Bernardo supponit; & immediatè post exclamat: " Quid „ expressius pro libertate inimica necessitati, cùm ideo eam destrui necessitate do„ceat, quia libertas ad consensum & dissensum volubilis & indifferens est.

Hic Ripalda omnem fidem perdit, & duo crimina falsi simul committit: vnum sua verba pro verbis Bernardi Lectori obtrudendo: alterum veri Textus Bernardi sensum corrumpendo, dum scilicet adiecto verbis Bernardi consequente tanquam illato à Bernardo, trahit verba Bernardi tanquam antecedens ad sensum istius consequentis; quo significatur, vt Ripalda exponit, quod libertas voluntatis etiam sub gratia constitutæ, ad consensum & dissensum volubilis sit & indifferens; alioquin voluntatem non fore liberam: qui sensus à mente Bernardi prorsus est alienus, & ex diametro repugnat doctrinæ quam hoc eodem libro Bernardus diversis locis tradit.

E quibus vnus est iste: *Sicut cœlestis Angelus, aut etiam Deus ipse permanet liberè bonus propria videlicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate: sic profectò diabolus æquè liberè in malum corruit, & persistit, suo vtique voluntario nutu, non alieno impulsu. Manet ergo libertas voluntatis, vbi etiam fit captivitas mentis, tam plena quidem in malis, quàm & in bonis, sed in bonis ordinatior.* Et post multa: *Nemo proinde putet ideo dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum aut malum potestate aut facultate versetur, cum cadere per se quidem potuerit, non autem resurgere, nisi per Domini spiritum. Alioquin nec Deus, nec Angeli sancti, cum ita sint boni vt non possint esse & mali: nec prævaricatores item angeli, cum ita sint mali, vt iam non valeant esse boni, liberi arbitrij esse dicuntur.* Et paulò infra: *Cæterum nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus; quoniam quod ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quodque is non valeat in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio.* Quibus & aliis pluribus locis dum agnoscit Bernardus veram libertatem in dæmonibus, qui tamen non possunt iam bonum velle, & in Angelis beatis, qui non possunt malum velle, sed ad bonam voluntatem & Dei amorem determinati sunt: Item etiam in Deo, qui *permanet liberè bonus*, vt Bernardus ait, & cuius voluntas tam *firma in bono* est vt non tantùm non possit malum velle, sed etiã nequeat quod rectum & iustum est non amare. manifestum fit Bernardum non requirere ad libertatem voluntatis, vt ipsa cum iisdem prærequisitis sit volubilis & inidfferens

indifferens ad bonum & malum, vel ad duo opposita.

Cùm ergo Bernardus removet necessitatem à voluntate libera, non de qualibet necessitate loquitur, sed de necessitate coactiva aut brutali, quæ potentiam sic agit, vt eripiat ei dominium sui actus, & non sinit vt voluntas iudicio rationis directa seipsam pro suo beneplacito moveat in actum, consentiendo gratiæ cùm ab ea prævenitur, & inclinatur in bonum; vel consentiendo sensuali appetitui, aut malo spiritui, cùm ab ijs ad malum sollicitatur. Quam Bernardi mentem apertè demonstrant loca iam à nobis citata, & alia plura eiusdem libri: eundemque sensum locus à Ripalda citatus Lectoris animo, Bernardi magis quàm Ripaldæ philosophiâ imbuto, facilè ingenerabit, si integer repræsentetur, & demantur ea quæ Ripalda infideliter illi attexuit.

§. XXIII.

Mutilat Textum & sensum pervertit, dissimulando sequentia.

RIPALDA DISPVT. 20. N. 42.

Librum de Amore Dei qui exstat inter Opera Bernardi etiam pro se rapit Ripalda. Ex quo pro operibus ante fidem ex omni circumstantia moraliter bonis citat hanc sententiam: *Philosophi mundi huius olim iustitiam coluerunt & affectu amoris, & effectu operis, in tantum vt diceretur ab eis: Oderunt peccare boni virtutis amore.* Unde infert Ripalda suo sensu: "Ergo infideles amore virtutis „oderunt peccatum, & iustitiam coluerunt.

Quis hîc lectâ istâ sententiâ sic à textu per Ripaldam avulsâ, & Ripaldæ collectioni assentiens, non statim credat Philosophos istos gentiles, magnos sanctos fuisse, qui nimirum iustitiam coluerint, & affectu amoris, & effectu operis; & consequenter amore virtutis peccatum oderint, vt Ripalda colligit? Sed vide Lector alteram columnam, & perlege ea quæ citatæ isti sententiæ immediatè ab eodem Auctore subijciuntur, quibus & Ripaldæ fallaciam prodit, & philosophis istis omnem

BERNARDVS VEL FORTE GVILIELMVS ABBAS LIB. DE AMORE DEI C. 8.

Philosophi mundi huius olim eam (iustitiam) *coluerunt & affectu amoris & effectu operis, in tantum vt diceretur* DE EIS *ab eis: Oderunt peccare boni virtutis amore. Sed convincuntur iustitiam non amasse, qui non amaverunt te, à quo fons & origo, & in quem finis & recursus veræ iustitiæ; & sine quo omnes iustitia hominum, sicut pannus menstruatæ: Non enim habebant fidem quæ per dilectionem operatur, licet affectatum quendam amorem, & opera quædam haberent honestatis, quæ quia ex fonte veræ iustitiæ, non prodibant, nec in veræ iustitiæ finem ibant, tantò desperatiùs errabant, quantò fortiùs extra viam currebant. Via enim patet Christus tuus, qui dixit: Ego sum via, veritas, & vita.*

nem sanctitatis larvam detrahens, docet in illis non fuisse verum amorem virtutis. Nam *convincuntur*, inquit, *iustitiam non amasse* (nempe propter ipsammet iustitiam, & idcircò nec amasse quod iustum & rectum est propter iustitiam, seu æquitatem & rectitudinem) *qui non amaverunt te*, Deum scilicet, qui est ipsa æquitas & rectitudo, relucens in istis naturæ legibus, quas omnium mentibus inscripsit: *Et sine quo omnes iustitiæ hominum, sicut pannus menstruatæ*, id est, peccati sordibus respersæ. Et *licet affectatum quendam amorem*, quo quærebant iusti videri & suspici ab hominibus, *& opera quadam haberent honestatis*, id est, secundùm se, & ex obiecto suo honesta, tamen *quia ex fonte veræ iustitiæ non prodibant*, sed illa viribus suis arrogabant; *nec in veræ iustitiæ finem ibant*, per verum Dei amorem, sed ea per affectum humanæ laudis aut vanæ gloriæ ad seipsos retorquebant, ideò ista sic operantes *tantò desperatiùs errabant, quantò fortiùs extra viam currebant*. Quomodo ergo iustitiam isti coluerunt, aut peccatum oderunt virtutis amore, vt Ripalda ex verbis à se citatis, dissimulando proximè sequentia, fallaciter colligit? Qui insuper mutilavit verba ista quæ citat, omittendo hanc partem, *De eis*, quæ non frustrà ab Auctore adiecta est. Videtur enim ista phrasis, *in tantum vt diceretur de eis ab eis*, duo nobis innuere. Primum, quod dictum istud: *Oderunt peccare boni virtutis amore*, philosophi isti gentiles ex quadam mentis elatione sibiipsis attribuerint: secundum, quòd licet istud in ipsis locum habuerit iudicio hominum, qui vident ea tantùm quæ exteriùs apparent; non tamen iudicio Dei, qui intuetur cor, & animi intima quæque introspiciens, videt in quem scopum affectus vniuscuiusque colliment.

§. XXIV.

Falsificationes Textus D. Thomæ.

Ripalda obtrudit Divo Thomæ sua verba, sicut suprà D. Bernardo.

RIPALDA DISP. 23. N. 108.	D. THOMAS I. P. Q. 49. A. 2. AD 3.
DAri omnibus gratias sufficientes ad salutem probat Ripalda ex D. Thoma, quem hoc modo citat: *Deus*	DEus non deficit ab agendo quod est necessarium ad salutem.

non deficit in agendo, quod est necessarium ad salutem. Non solùm electis, sed etiam reprobis. Vbi iterum sua verba partem Textus facit, & ea Lectori obtrudit pro verbis D. Thomæ. Hæc enim postrema: *Non solùm electis, sed etiam reprobis*, D. Thomas non habet, sed addita sunt à Ripalda: quâ additione corrumpit etiam sensum verborum D. Thomæ. Nam D. Thomas ibi loquitur tam de salute naturali, quàm supernaturali

pernaturali, & de salute omnium rerum creatarum, vt doctrina istius Articuli, & obiectio ad quam istis verbis respondet, manifestè declarant. Ripalda verò eadem verba per suam additionem imperitè restringit ad salutem supernaturalem hominum.

Sensus quippè responsionis S. Thomæ hic est: Quandoquidem tunc tantùm absentia causæ agentis dicatur causa defectus, quando debebatur præsentia, & Deus nunquam cùm rebus debetur, subtrahat influxum, ipse proinde non sit propriè loquendo, causa defectuum, ex hoc solo, quod non facit; sicuti nauta est causa submersionis navis quam non gubernat: adeoque non sequi, quod si Deus suo influxu est causa salutis omnium rerum, sit etiam causa omnis perditionis & mali, influxum suum auxiliumve negando.

Multa alia loca D. Thomæ sparsim per totum suum librum Ripalda torquet contra mentem eiusdem sancti Doctoris, vel ea mutilat aut truncat, sicut circa Textus Patrum superiùs ostensum est ipsũ fecisse. In cæteris etiam Scholasticis citandis non meliori fide vtitur, quàm cum D. Thoma, vel Sanctis Patribus: sed illos nunc preterimus, partim ne prolixiores simus, partim quia facilè quisque intelliget eum, qui in sanctis Patribus tractandis infidelis fuit, fidelem non fuisse in tractandis Doctoribus Scholasticis.

Præterimus etiam eâdem de causâ multos alios Patres, quorum verba perversè Ripalda citat & corrumpit, sicut istorum quos supra produximus. Quos autem Auctores & cuius notæ alios Ripalda in doctrinę suæ patrocinium advocet, porrò videamus.

CAPVT V.

Ripaldæ praxes à Christiana sinceritate alienæ deteguntur. Prima Suspectos vel Apocryphos Authores pro classicis, venditandi: Secunda hæreticos sub nomine orthodoxorum Patrum obtrudendi: Tertia vnicos Auctores in plures multiplicandi.

§. I. PROÆMIALIS.

Non mirum si Ripalda viris in angulo mundi degentibus calumniatur, qui Patribus vita functis, sed per Bibliothecas vbiq; dispersis imponere non veretur: imitans in hoc veteres Semipelagianos, à Celestino Papa idcò cum indignatione represso.

RIpaldæ zelus & calumniandi libido non se cohibuit, quin vnà nobiscum venerandam Patrum canitiem incesseret. Quod equidem nos ob id divinitus provisum confidimus, vt tam impuden-

ter de nobis mentienti discredant, qui Ecclesiæ proceres nobiscum defamatos perspexerint. Neq; enim vsqueadeo humanæ intelligentiæ caligat obtutus, aut ab Ecclesiæ filiis spiritus discretionis abscessit, vt non videant, multò esse facilius calumniari de hominibus in mundi angulo degentibus, quàm de Patrum opusculis per Bibliothecas ubique dispersis. Veruntamen, vt olim martyr Cyprianus admonuit, [a] "Zelus terminum non habet". Et vide quid Cyprianus ibidem superiùs præmiserat: "Zelo excæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, iudicii dies non providetur: inflat superbia, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientiā concutit, furit discordiā, ira fervescit: nec se iam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, vnitas scinditur, ad hæreses atque schismata prosilitur". Quæ quidem sublatentis zeli livorisq; symptomata quàm crebrò in Ripaldani Syntagmatis serie sese ingerant, partim ex dictis in præcedentibus liquet, partim ex mox subijciendis liquebit. Congruè autem accidit, vt quorum imitatus est Ripalda sensum, hæreditaret & zelum: veterum nimirum Semipelagianismi procursorum, de quibus in Epist. ad Gallicanos Episcopos scribens Papa Celestinus Cap. 1. cùm præmonuisset, " Vt vitentur huiusmodi, qui laborant per terras aliud quàm ille noster iussit agricola seminare", mox subdidit: "Nec tamen mirari possumus, si hæc erga viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrū memoriam dissipare". Quid porrò Ripalda erga Lovanienses Theologos iam viventes ausus sit tentare, in præcedentibus patuit: nunc quomodo memoriā quiescentium in cælo Magistrorum nisus sit dissipare, breviter perstringemus.

[a] *Cyprian. Lib. de zelo & livore.*

Vide suprà c. 4. & hic inferiùs §. 15.

§. II.

Ripalda Discipulos Augustini calumniosè agnominat Baianos, *quos Petavius eius Socius petulcè vocat* Armacanos. *Ripalda Ruffini imitator, & ob id* Grunnius *iustè appellatus.*

Sanctos igitur Patres in cælo quidem iam olim quiescentes, sed tamen per mundi bibliothecas in scriptis suis viventes, eadem fide tractat Ripalda, qua pridem Ruffinus Aquileiensis monachus, Hieronymi ob id stilo confixus. Et quanquā pro eo quod Ripalda nos agnominat *Baianos*, quemadmodum & eius Socius Petavius *Armacanos*, retaliando possemus eum vocare *Molinianum*, vel fortè aliquid amplius: contenti tamen nunc erimus vocabulo *Grunnij*, quod præfato Ruffino

indidit

indidit olim Hieronymus: Repetentes, ac Ripaldæ accõmodantes illud eiusdẽ Hieronymi de veteri suo Grunnio: [b] "Miserabilis Grunnius, „qui ad calumniandos sanctos viros aperuit os suum, linguamque suam „docuit mendaciũ: Sixti Pythagorici hominis gentilissimi, unum librũ „interpretatus est in Latinum, divisitque eum in duo volumina; & sub „nomine sancti Martyris Sixti, vrbis Romanæ Episcopi, ausus est edere. Agnoscat igitur novus Grunnius in prodromo isto suo ausum suum, & erubescat de obtruso lectoribus suis Pelagio hæresiarcha pro Augustino & Hieronymo, Ambrosiastro Pelagiano pro Ambrosio Catholico, Massiliensibus Semipelagianis pro Prospero & Fulgentio gratiæ patronis, aliisque sectariis pro Doctoribus orthodoxis. Audiat præterea ex eodem Hieronymo aliud præcursoris sui Ruffini facinus à se in suo Opere iteratum: [c] "Nec mirum, *ait ille de Ruffino*, si gentilem philosophũ „in martyrem & Romanæ vrbis Episcopum transtulerit; cùm Eusebij „quoque Cæsariensis primum pro Origene librum, Pamphili martyris „vocabulo commutarit; vt faciliùs tali laudatore libros impiissimos „Periarchon Romanis conciliaret auribus". Et in proæmio dialogorũ adversus Pelagianos: "Ruffinus, *inquit*, non uni vrbi, sed orbi blasphe„mias Origenis & Periarchon libros quantum in se fuit, intulit: itavt „Eusebii quoque primum librum defensionis Origenis, sub nomine Pamphili martyris ederet". Et in Epist. ad Ctesiphontem cap 2. "Li„brum primum, *inquit*, sex librorum defensionis Origenis Eusebij „Cæsariensis, quem fuisse Arrianum nemo est qui nesciat, nomine Pam„phili martyris prænotavit: quò scilicet egregia illa quatuor Origenis „Periarchon volumina Latinis infunderet auribus". Ostendamus nunc quomodo novus Grunnius hocce veteris Grunnii facinus iteraverit; vt pateat quàm congruè eius portet vocabulum, cuius imitatur piaculum. Ripalda itaque Disp. 18. n. 66. ad probandum, non esse necessitatem peccandi sine gratia, obtrudit Lectori librum istum defensionis Origenis, Pamphili martyris nomine prænotatum: *Pamphilus martyr*, inquit, *in Apologia pro Origene in Sect. 3. quæ incipit, Qui de nato, ex persona Origenis scribit, Non nos necessitati esse subiectos* &c. Nec est quod respondeatur, veterem Grunnium transtulisse in Latinum prædictum Eusebij librum, & insuper nomine Pamphili martyris prænotasse ipsum: Ripaldam verò non nisi in hoc postremo eum fuisse imitatum. Non enim ob id veterem Grunnium culpat Hieronymus, quod Apologeticum Eusebij pro Origine in Latinũ transtulerit: sed quod *nomine Pamphili martyris prænotaverit*. Ac per hoc Ripalda veterem Grunnium imitatus est in illo ipso facinore, quod Hieronymus illi improperaverat. Nec denique est quòd pro novo Grunnio excusando allegetur ipsius Hieronymi authoritas, dicentis de Pamphilo martyre. [d] "Scripsit, antequam Eusebius Cæsariensis

[b] *Hieron. lib. 4. Comment. in cap. 22. Hieremiæ.*

[c] *Hieron. lib. 6 Comment. in cap. 18. Ezechielis.*

[d] *D. Hier. lib. de Script. Eccles. c. 75.*

Præcluditur. „riensis scriberet, Apologeticum pro Origene". Nam & hoc ipsum à vetere sibi Grunnio obiectum Hieronymus diluit, agnoscendo se eiusdem Grunnij fraude deceptum: [e] "De tuo codice (*ait ei*) quasi Pamphili exemplar accepimus. Credidi Christiano, credidi monacho: non putavi tantum sceleris à te posse confingi". Consimili strophâ idem ipse Grunnius, & ex ipso hæresiarcha Pelagius, Augustinum decepit, obtrudendo ei præmemoratum Sixti Pythagorici librum, sub nomine Sixti Papæ & martyris, vt videre est lib. 2. Retract. cap. 42. Vnde verendum nobis fuit, ne Ripalda similibus suis strophis quamplurimos imperitos deciperet, & in suas partes à veritate abduceret, cùm constet, celeberrimos illos Ecclesiæ Doctores, Hieronymum & Augustinum, olim fuisse consimili artificio deceptos.

[e] *Hieron. lib. 3. Apolog. contra Ruffinum c. 4.*

Vide Aug. l. de Nat. & Grat. cap. 64.

§. III.

Ripalda sua dogmata reprobatorum Auctorum suffragijs fulcit: signanter Ruffini, Eusebij, & Origenis.

Neque verò Hieronymi in Origenem, eiusque fautores Ruffinum & Eusebium, toties iteratæ censuræ absterruêre Ripaldam, quo minùs hos ipsos in sui dogmatis patrocinium accerseret. Ruffinum quidem Disp. 20. n. 82. Eusebium verò Disp. 8. n. 214. & Disp. 14. n. 72. 94. 122. & 146. & Disp. 15. n. 45. & Disp. 16. n. 71. & Disp. 17. n. 84. & Disp. 18 n. 58. & Disp. 19. n. 16. Ipsum denique Origenem, [f] "Pelagiani erroris (Hieronymo teste) principem", Disp. 14. n. 71. & 86. & Disp. 15. n. 42. & quidem ex illis ipsis Periarchon libris, quos Hieronymus superiùs relatus *Impijssimos* vocat, atque *Blasphemos*. Et quanquam Hieronymus pro immani piaculo exprobraverit hæresiarchæ Pelagio, [g] "Doctrina tua Origenis ramusculus est": adeò tamen Ripaldę istud non est piaculum, vt operosè contendat, doctrinam suam esse Origenis ramusculum. Unde cùm Disp. 15. n. 42. pro astruenda libertatis indifferentia ad opposita, Origenem ex lib. 1. & 3. Periarchon, & ex libro 2. adversus Celsum, & ex Homil. 4. in Cantica allegasset, subsequenter evasionem præclusurus adiunxit: *Nec refert, Origenis scripta erroribus esse respersa. Quia nullus Patrum, & Scriptorum, qui eos diligentissime notarunt, retulit inter eos doctrinam de indifferentia ad libertatem necessaria.* Quod quidem & nos verum esse fatemur, si intelligatur de indifferentia à Catholicis agnita: pernegamus autem, si de indifferentia à Ripalda post mundi Philosophos & veteres gratiæ hostes conficta. Nam, vt de cæteris sileamus, Angelicus certè Doctor temeritatem Ripaldanæ iactantiæ coarguit, vbi ait: [h] "Solus Deus potest

[f] *Hieron. Epist. ad Ctesiph. c. 2.*

[g] *Hieron. ibid.*

[h] *D. Thom. l. 3. cont. Gentes c. 88. & 89.*

„ poteſt movere voluntatem per modum agentis abſque violentia. Hinc *Prov. 21. 1.*
„eſt quod dicitur Proverb. 21. *Cor Regis in manu Domini, & quòcunque* *Phil. 2. 13.*
„*voluerit inclinabit illud*: & ad Philippenſes 2. *Deus eſt qui operatur in no-*
„*bis & velle & perficere pro bona voluntate.* Quidam verò non intelligen-
„tes qualiter motum voluntatis Deus in nobis cauſare poſſit abſque
„præiudicio libertatis voluntatis, conati ſunt has auctoritates malè
„exponere: vt ſcilicet dicerent, quòd Deus cauſat in nobis velle & per-
„ficere, in quantum dat nobis virtutem volendi; non autem ſic, quòd
„faciat nos velle hoc vel illud: ſicut Origenes exponit in 3. Periarchon,
„liberum arbitrium defendens contra auctoritates prædictas". Si Ripalda & eius Socij huic Angelici Doctoris atteſtationi acquieſcerent, non ſolùm ab Origenis defenſione, ſed etiam à catholicæ doctrinę impugnatione deſiſterent. Quid eſt enim quod maiori animoſitate & obſtinaciâ adversùs nos hodie propugnant, quàm *quòd Deus cauſet in nobis velle & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi; non autem ſic, quod faciat nos velle hoc vel illud?* Et tamen Angelicus Doctor iam citatus apertiſſimè teſtatur, quòd Origenes ſic ſenſerit *in 3. Periarchon, Liberum arbitrium defendens* CONTRA AVCTORITATES PRAEDICTAS. Quid eſt ergo quòd iactantiſſimus Ripalda diſp. proximè citata Sect. 11. eandem ipſam de libertatis indifferentia ſententiam ipſi Angelico Doctori obtrudere ſatagit, quam ſuperiùs Sect. 6. Origeni attribuerat in 3. Periarchon; vbi Angelico Doctore atteſtante, *Liberum arbitrium defendit contra auctoritates prædictas*? An fortè dicturus eſt, Angelicum Doctorem maluiſſe liberum arbitrium cum Origene contra ſcripturas defendere, quàm ab Origene deſciſcere?

§. IV.

Origenes cum Patronis ſuis, Pontificum ac Synodorum auctoritate damnatus, à Ripalda Socijs nihilominùs defenſus: & cur?

SI Ripaldam non deterruit auctoritas Hieronymi, libros Periarchon cenſentis *impijſſimos*; cur ſaltem non deterruit Romani Concilij ſub Gelaſio habiti decretum, quo reprobatur Origenes cum vniverſis ſuis fautoribus, à Beato Hieronymo pridem reprehenſis? Inveniſſet ibi de præcurſore ſuo Ruffino ſcriptum: "Quoniam Beatus Hieronymus eum in aliquibus de arbitrij libertate notavit: illa ſentimus, quæ „prædictum Beatum Hieronymum ſentire cognoſcimus: & non ſolùm „de Ruffino, ſed etiam DE VNIVERSIS, quos vir ſæpiùs memoratus, „zelo Dei, & fidei religione reprehendit". Inveniſſet & de Origene ibidem immediatè ſubtextum: "Item Origenis nonnulla Opuſcula, quæ

vir

„vir Beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus: reli„qua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda". Quærimus nunc, quonam ex his membro Ripalda velit comprehendi libros Periarchon, toties à se in patrocinium sui dogmatis accitos? Si primo: reclamabit apertè Hieronymus, eos reprobans vt *impijssimos, & blasphemos*. Si secundo: quâ fronte in nos auctoritatem eorum torquet, quos Romana Synodus decernit *cum suo auctore esse renuendos*? Nec verendum existimamus, ne ab hac synodali censura quisquam fidelium se sinat abduci auctoritate vel argutijs Iesuitæ Halloix, cuius pro Origenis defensione volumen sub idem tempus cum Ripaldano syntagmate prodijt: quinimò confidimus, quemlibet verè Catholicum cum Cardinale Baronio potiùs exclamaturum: [i] "Miratus sum vehementer, post damnatione Origenis ab Anastasio Papa Pontificiâ auctoritate inflictam, „post eiusdem reprobationem in Sexta Synodo pronunciatam, post tot „antiquorum Patrum in idipsum conspirantes sententias; adhuc recen„tiores quosdam ausos esse pro eodem novas edere Apologias, & au„ctoritate totius Catholicæ Ecclesiæ iudicatas sæpius controversias „denuò temerè excitare". Et sanè haud levis aut vana est suspicio, Origenis defensionē idcircò à Socijs hâc tempestate fuisse susceptā, vt suis dogmatibus patronum è veteribus ab omni sinistra opinione purgatum conquirerent. Nam, vt scitè Tertullianus advertit: [k] "Quibus fuit „propositum aliter docendi, eos necessitas coëgit aliter disponendi in„strumenta doctrinæ".

[i] *Baron. Tom. 2. Annal. ad annū Christi 256. n. 40. Vide Bellar. lib. de Scriptor. Ecclesiast. in Origene.*

[k] *Tertull. l. de Præscrip. c. 38.*

§. V.

Gennadij Massiliensis patrocinium Ripalda implorat: quem fuisse Semipelagianum nemo passim ignorat.

Nunc ad alios transeamus, quorum auctoritatis pondere Ripalda nos premere, & sua sensa nititur fulcire. In his est Gēnadius Massiliensis Presbyter, quem nominatim allegat disp. 8. n. 198. & 206. & disp. 19. n. 11. Innominatim verò tanquam auctorem libri *De Ecclesiasticis dogmatibus* disp. 15. n. 75. & disp. 24. n. 72. & 85. Quod igitur ad Gēnadiū nominatim allegatū spectat, reponimus Ripaldę censurā sui consodalis Theophili Raynaudi in hæc verba: [l] "Gennadius ex Cassiani „& Fausti laudibus, Prosperi autē reiectione, non obscurè se prodit Se„mipelagianum". Addimus & huic similem Cardinalis Bellarmini, de Gennadio in Libro de Scriptor. Eccles. dicentis: "Scripsit librum de „viris illustribus, in quo suspicionem non parvam reliquit suæ non re„ctæ fidei: Laudavit enim Cassianum & Faustum, qui Semipelagiani fuerunt;

[l] *Theoph. Rayn. Defens. Valer. c. 7. §. 5. Vide Gennad. l. de viris Illustr. cap. 84. & 85.*

„fuerunt; & Sanctum Prosperum depressit, qui pro gratia Dei contra „Pelagium fortissimè dimicavit". Addimus denique hanc Cardinalis Baronij in Annalibus Ecclesiasticis: [m] "Quod ad Gennadij doctrinam „spectat, ipsum aliquando, æquè ac Faustum, impugnando Pelagium „favisse Pelagianis erroribus, qui eius scripta accuratè perlegerit, intel-„liget". Quod denique ad librum de Ecclesiasticis dogmatibus, ab eodem Ripalda sine auctoris nomine allegatum, attinet; reponimus illud, quod ab octingentis circiter annis Ecclesia Lugdunensis in libro adversùs Ioannem Scotum cognomento Erigenam prodidit: "Hominem „absque laboris sui studio ad Deum pervenire non posse, non est Ca-„tholicum, sed Pelagianum. Invenitur in libello, cuius titulus Dog-„matum Ecclesiasticorum, quædam talis definitio: sed omninò, vt alia „nonnulla in eodem libello, Pelagiani erroris est. Et ideò quicunque „eum propter alia quædam vtilia legit, cùm huiusmodi ibi sensus in-„venerit, meminerit sollicitè Apostoli dicentis: *Omnia probate, quod bo-„num est tenete*". Sed quàm fuerit immemor Apostolici huius documẽti Ripalda, videamus. Citat ille ex dicto libello caput 21. & 44. quorum prius Semipelagianum est; posterius tametsi sanum, infideliter tamen à Ripalda citatur. Ad marginem prioris ab octoginta iam ferè annis hanc notam adscripserunt Lovanienses Theologi: "Cautè legen-„dum est hoc caput, contra quod subijcitur antidotum". Vbi audis antidotum, virus agnosce. Sed quod illud antidotum? Triginta nimirum capita proximè sequentia, descripta partim ex Epistola Celestini Papę ad Episcopos Gallicanos, partim ex Canonibus Synodorum Carthaginensis & Arausicanæ. Monuit hoc post Lovanienses Cardinalis Baronius ad annum proximè ex ipso citatum n. 46. vbi de Gennadiano illo opere Ecclesiasticorum dogmatum loquens ait: "Quæ à ca-„pite 21. eiusdem Commentarij vsque ad 52. interiacent, non esse „Gennadij, sed Gennadij correctoris, optimè observavit doctissima „Schola Lovaniensis". E numero interiacentium istorum capitum est alterum illud à Ripalda truncatè citatum; quod integrum coincidit cum Canone 7. Synodi Arausicanæ. Quem Canonẽ Ripalda superiùs Disp. 8. n. 194. nominatim citaverat, sed similiter truncatum. Vtrobique quippe de medio amputavit hanc clausulam, *sive Salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire*: quâ videbat feriri doctrinam suam de fide naturali, haustam ex Molina in Concordia q. 14. art. 13. Disp. 7. & seqq. Tota verò Ripaldæ isto loco intentio inanitur & eliditur per Canonem 22. eiusdem Synodi Arausicanæ, qui transscriptus est ex Aug. Tract. 5. in Ioannem sub initium.

[m] Baronius tomo 6. annalĩ ad annum 490. n. 45. Vide Possevin. in Apparatu Sacro in Gẽnadio.

1. Thess. 5. 21.

§. VI.

Caßianum & Faustum Ripalda allegare non audet: quorum tamen sensa Ennodij Ticinensis verbis expressa obtrudit. Vbi obiter de Clemente Alexandrino, Tertulliano, & Lactantio.

SEd cùm tantam Ripalda posuerit operam in coacervandis auctoribus de Pelagianismo cōvictis aut suspectis, mirum cur omiserit Cassianum & Faustum An fortè eum deterruit censura Gelasij in Synodo Romana vtrumque reprobantis? Quâ igitur fronte auctoritatem vsurpat Gennadij, vtrumque approbantis? Cur toties citat Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Lactantium: quorum opuscula ibidem pro apocryphis habenda decernuntur? Quorsum etiam non omisit Ennodium Ticinensem, qui in Epistola ad Constantium, toties ab eo allegatâ, Fausti dogma tantùm non verbatim expressit: provt videre est conferendo dictam Ennodij Epistolam cum scriptis Fausti, signanter lib. 1. de Libero arbitrio cap. 8. 11. & 13.? Neque verò authoris istius temeritas se cohibuit, quin in eadem Epistola effutiret: *Video quò se toxica Lybica pestis extendant.* Quibus verbis doctrinam Augustini tanquam ex Lybia seu Africa venientem invidiosè traducit, & *Lybicæ pestis* vocabulo sugillat. Quapropter de Epistolæ istius authore, quiscunque ille fuerit, dicere non veremur: Ex Fausti imitatione, & Augustini reprehensione, non obscurè se prodit Semipelagianum. Vidit sanè Ripalda authoris istius cum Gennadio consonantiam: & idcircò postquam Disp. 15. n. 75. allegasset ex Gennadij libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21. hæc verba: "Initium salutis nostræ Deo miserante „habemus: vt autem acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ po„testatis est": mox n. 76 hæc authoris istius verba allegavit: "De„bemus gratiæ, quòd vocamur; debemus gratiæ, quòd occultis iti„neribus, nisi resistamus, sapor nobis vitalis infunditur. Nostræ au„tem electionis est, quòd beneficia demonstrata sectamur". Quæ quidem sententiæ non minùs inter se, quàm cum illa Cassiani positione à Prospero explosa concordant: [n] "Manet in homine liberum semper „arbitrium, quo gratiam Dei possit vel negligere, vel amare". Quid porrò Massilienses per huiusmodi loquēdi formulas intēderint, indicat Fulgentius, cùm de eis loquens: [o] "Non credunt, *inquit*, ipsius gratiæ „ opus esse in homine, vt gratia suscipiatur ab homine". Nec est quòd pro astruenda istius Epistolæ auctoritate opponatur nobis decretum Romanæ Synodi sub Symmacho habitæ; vel aliorum Pontificum elogia, à Iacobo Sirmondo Ennodianis Epistolis præfixa. Nam nec in illo decreto, nec in omnibus istis elogijs vlla harum Epistolarum mentio

[n] *Cassian. apud Prosp. l. contra Collat. cap. 30.*

[o] *Fulgent. lib. 1. de Veritate Prædest. cap. 14.*

tio fit; sed duntaxat libelli Apologetici pro Synodo conscripti, adversùs eos, qui contra Synodum scribere præsumpserunt. De Epistolis altum vbique silentium.

§. VII.

Ripalda progreditur in allegandis auctoribus de fide suspectis, & ob id improbatis. Quod inprimis ostenditur in Arnobio Iuniore, Theodoreto Origenis transcriptore, & Marco Eremita seu Exercitore.

SEd nunquid si Ripalda cecidit causâ in Origene, Eusebio, Ruffino, Gennadio, & Ennodio, cadet pariter in Arnobio Iuniore, quem ex Commentario in Psalmos citat disp. 20. n. 104.? Item in Theodoreto, quem adducit disp. 14 n. 74. & 93. & passim aliàs? Item in Marco Eremita, quem obtrudit disp. 12. n. 147. & 154. & disp. 14. n. 78. & 181. & disp. 15. n. 72. & disp. 18. n. 69. & disp. 23. n. 107. & disp. 24. n 69.? Item in Macario Seniore, quem allegat disp. 12. n. 23. & 52. & disp. 14. n. 77. & n. 159. & disp. 15. n. 46. & disp. 18. n. 66. & disp. 19. n. 16. & disp. 23. n. 173. & disp. 24. n. 68. & 85. Item in Moyse Barcepha, quem citat disp. 14. n. 187. & disp. 15. n. 77.? Item in Nemesio, quem sive sub propria persona nominatim, sive sub larva & affi cto nomine Gregorij Nysseni obtrudere nititur disp. 14. n. 43. 121. 137. 145. & 157. & disp. 15. n. 53. & 109. & disp. 16. n. 74. & disp. 18. n. 66. & 121.? Cadet prorsus. Nam inprimis quod ad Arnobium Iuniorem attinet, eum Majores nostri antè 60. annos in justificatione suæ Censuræ adversùs Ripaldæ socios cap. 3. perhibuerunt, "Eadem cum Massiliensibus sensisse". Et ne id gratis perhibere putarentur, allegarunt loca quibus in Commentario Psalmorum, "Dei gratiam infideliter confitetur; eamque secundùm merita „nostra dari, nullâ verborum ambiguitate tradit". Et mox infra ibidem adiunxerunt: "Unde nec illum dubitamus esse Arnobium, cuius „Opuscula Gelasius Pontifex apocrypha cêsuit". Et nonnullis de Origene similiter repudiando interpositis, Theodoretum in materia prædestinationis & gratiæ minimè audiendum iudicaverunt: vtpotè "Qui „Origenem secutus, eiusque verba transcribens, incautus non prædestinationem ad gloriam modò, sed ad gratiam quoque, ex prævisis „meritis statuit". Sequitur Marcus Eremita: de quo in libro de Script. Eccles. cap. 281. loquens Aubertus Miræus, inter alia ait: "Eius „nomine in Bibliotheca Patrum edita leguntur varia Opuscula Theo„logica, quę erroribus contra fidem Catholicam scatent". Si fortè Ripalda hanc Miræi censuram ignoravit aut sprevit, cur saltem non acquievit suo Socio Possevino? An nescit eum in suo Apparatu sacro, ita de hoc Marco scripsisse: "Non pauca in hoc Auctore, quisquis ille fue-

„rit, obseruavit & cautè esse legenda ostendit Magister Sacri Palatij"? Quæ Magistri sacri Palatij obseruatio habetur præfixa operibus eiusdem Marci in ipsa Bibliotheca sanctorũ Patrum, editionis Coloniensis Tom. 4. pag. 933. & seq. Ubi præmissa duorum Marcorum Eremitarum mẽtione, hæc subijciũtur: " Vtri autem horum, Opera quæ hìc subijci-
„untur, tribuenda sint, in ambiguo est. Forsan neutri; nam si Opus ab
„hæreticis non sit depravatum (quod facilè contingere potuit) indig-
„num planè est, quod vel illi, vel huic Marco ascribatur; cùm vterq; vir
„fuerit sanctissimus, & opus ipsum multas contineat sententias à rectæ
„fidei regula exorbitantes". Et pauculis interpositis ad calcẽ adiungit Magister: " Vtcunq; sit, cautissimè semper, & cum acri iudicio legen-
„dum est, propter sentes & vepres errorum, in quæ nonnunquam offen-
„di possit". Sed quid mirum si Ripalda sentes & vepres ex Marco Eremita obtrudere voluerit, qui scorpiones & colubros ex libris Periarchō Origenis obtrudere non erubuit? An nescit illud Hieronymi ad Auitũ Epist. 59. de Libris Periarchon: " Scias detestanda tibi in eis esse quam-
„plurima: & iuxta sermonem Domini, inter scorpiones & colubros
„incedendũ"? Quod si nec Miræi, nec Posseuini, nec ipsius Magistri Sacri Palatij auctoritas Ripaldam deterruit, cur saltem non detulit Cardinali Bellarmino, qui Lib. de Scriptor. Ecclesf. hunc Marcum Eremitam ita depingit: " Scripsit multa Opuscula Theologica, quę extant
„in Bibliotheca SS. Patrum Tom. 5. editionis 2. Sed ea opera ita scatẽt
„erroribus contra fidẽ, vt suspicari cogar, vel ab hæreticis nostri tem-
„poris conficta, aut valdè depravata fuisse. Nec; alia de causa huius au-
„ctoris memini, nisi vt admonerem, cautissimè esse legendũ. Non enim
„desunt alij authores pij, qui sine tali periculo legi possunt".

§. VIII.

Idem ostenditur in Macario Ægyptio. Ripalda suo patrono Gennadio ingratus arguitur. Eiusdem praxis partiendi vnum auctorem in plures perstringitur. Simili praxi voluminis Ripaldani editores vnicum hæreticum typographum in duos Catholicos, vnicam hæreticam vrbem in duas Catholicas multiplicarunt.

SEd supplebit fortasse Macarius Ægyptius quicquid deest ponderis Marco Eremitæ? Quomodo verò id præstabit, in Opere per Ripaldam obtruso, quod constat esse supposititium, vel ab hæreticis depravatum? Si Ripalda tam crebrò inspexisset caput 10. Gennadij de Viris illustribus, quàm caput 21. eiusdem de Dogmatibus ecclesiasticis, perfacilè coniecisset, non nisi per abvsum ascribi Macario Opus illud Homiliaticũ: " Macarius, *ait ibi Gennadius*, monachus ille Ægyptius, signis &
„virtutibus clarus, vnã TANTVM ad Iuniores professionis suæ scripsit
„epistolam". Si Ripalda ex hâc epistolá (quæ teste Miræo, extat Brugis manu-

Vide Miræum in

manuſcripta in Coll. Soc. Ieſu, inter reliquias biblioth. Pamelianę) aliquid ſub Macarij nomine allegaſſet, nō ſaltē Gennadio patrono ſuo contradixiſſet. Cū verò non ex ea epiſtola, ſed ex Homiliatico Opere teſtimonia ſub Macarij nomine accumulet, non ſolū veritati ſe prodit infeſtū, ſed ſuo etiā patrono Gennadio ingratū. Forsā ſi Poſſevino ſuo aurē prębuiſſet, nō ita fidenter Macarii Homilias allegaſſet: " Vt inoffenſo pe-,,de , *ait ille in Apparatu ſacro* , in legendis iſtis homilijs vnuſquiſq; in-,,cedat, prælegat quæ Magiſter Sacri Palatij in primo ſui Indicis Tomo ,,Romæ edito An. 1607. inſeruit". In Bibliotheca Patrū editionis Colonienſis An. 1618. præfixa eſt iſtis Homilijs admonitio ad lectorem, quæ his verbis terminatur : " Illud opportunè obſervamus, quædam ,,illis ineſſe obſcura, ambigua, & à proprio exactoq; more loquendi ,,Theologorum quadantenus aliena; proindeq; cum iudicio & circum-,,ſpectè legenda. Et ſubeſt ſuſpicio, ne AB ALIQVO PELAGIANO SINT ,,ALICVBI INTERPOLATÆ". Quāvis igitur Ripaldæ, reclamante ſuo Gennadio , annueremus , Homilias iſtas pro parte ſaltem eſſe Macarij ; nihil tamen ei roboris inde accreſcet, niſi priùs oſtenderit , ſe non ex adulterina Pelagiani interpolatione, ſed ex genuina Macarij lucubratione teſtimonia prompſiſſe. Illud verò quàm riduculum : quod vnam eandemq; Homiliam 15.am ijſdem prorſus verbis, nunc ſub nomine Macarij , nunc ſub nomine Marci Eremitæ obtrudat. Sub nomine quidem Macarij Diſp. 12. n. 23. & 52. & alibi : ſub nomine autem Marci Eremitæ Diſp. 12. n. 147. & 154. Suſpicaretur quis fortè errorem eſſe typographi , propter affinitatem vocabulorum *Macarij* & *Marci*, niſi *Marco* vtrobiq; ſubiungeretur *Heremita*. Laterem proinde vel Æthiopē lavant Operis Ripaldani editores, dū in ſynopſi erratorū monent, pro *Marco* legendū *Macariū* ; quaſi præter auctoris mentē alter pro altero irrepſiſſet: Sicut & ibidē credi volunt, pro *Non immeritò*, contra eiuſdē mentē irrepſiſſe, *immeritò*. De quo ſuperiùs Cap. 4 §. 5. Ripaldæ Socius Mart. Becanus nō ſine cauſa inſultat Batauo cuidā Caluiniſtæ, quòd vnum eundēq; auctorem ſemel ſub nomine *Petri de Alliaco* , ſemel ſub nomine *Cameracenſis*, obtruſiſſet. Vnde cùm ei Becanus regeſſiſſet: [p] " Quod maximè ri-,,diculum eſt, miſerū Petrum de Alliaco in duos homines partitus es": continuò ſubiunxit inſultationem hanc, Ripaldæ peræquè ac Batauo illi congruentem : " I nunc , & perſuade vulgo, veritatis ſtudioſum te eſſe: ,,mihi certè nunquam perſuadebis". Perſuadebitne igitur Ripalda vlli vnquam cordato , veritatis ſtudioſum ſe eſſe ; cui perpetuus penè ludus eſt , unicum auctorem in plures partiri? Huius ludi ſpecimen iam exhibuimus in auctore Homiliæ 15 præmemoratæ; quem ille in Macarium & Marcum Eremitam diviſit. Aliud ſpecimen exhibemus in auctore librorum de Vocatione gentium; quem ille in Proſperum diviſit & Ambroſium

Notis ad Gennadium de viris Illuſt. c. 10.

[p] *Becanus in 1. p. Tract. 1. c. 16. q 4. in fine.*

brosium. Prospero quippe libros illos ascribit Disp. 8. n. 252. & 290. & Disp. 12. n. 129. & Disp. 20. n. 12. 17. 73. 81. & 114. & Disp. 21. n. 29. & alibi: Sub Ambrosij autem nomine eosdem libros venditat Disp. 22. n. 56. Tertium specimen exhibemus in authore librorum hypognosticon, quem Disp. 8. n. 260. pro Augustino venditat: Disp. autem 14. n. 132. & disp. 15. n. 75. velut alium quempiam, *apud Augustinum*. Quartum specimen exhibemus in Ambrosiastro; quem passim obtrudit sub nomine Ambrosij, vt infrà videbimus: nonnunquam vero sub nomine *Authoris Commentariorum qui ascribuntur Ambrosio*. Videat cũ Lector Disp. 20. n. 45. ubi intra paucas lineolas prædictum Ambrosiastrum bis citatum, tanquam duos distinctos scriptores, reperiet. Atque hanc Ripaldę praxin consodales eius, qui Operis editionẽ procurarunt, etiam ad typographum & typographiæ locum extenderunt. Quamvis enim constet librum fuisse Amstelrodami in Hollandia typis Ioannis Blauw Caluinistæ excusum, quædam tamen exemplaria in programmate excusum mentiuntur, *Coloniæ Agrippinæ apud Cornelium ab Egmondt* ET SOCIOS: alia, *Moguntiæ sumptibus Ausonij Alebini* ET SOCIORVM. Ita ingeniosi artifices ex vno hæretico typographo duos Catholicos, & ex vna hæretica vrbe duas catholicas effinxerũt: veriti fortasse ne quod de Iansenij libro mendaciter Ripalda Disp. 24. n. 19. garrit, *Libri Iansenianí editio posthuma fuit, & inter discipulos Baij, & Hollandos fidei periculosæ homines fabricata*: in librum Ripaldæ, mutatis paululùm nominibus, veraciter retorqueretur, hoc modo: *Libri Ripaldani editio posthuma fuit, & inter discipulos Lessij, & Hollandos fidei periculosæ homines fabricata*. Si Batauus ille Caluinista à Becano superiùs explosus adhuc viuat, verendum est ne Ripaldæ, vel cuipiã de Ripaldani Operis editoribus reponat illud sibi ab eodem Becano improperatum: [q] "Pro vno coronato duos libenter accipis". Nec deerunt fortè alij, qui illud propheticũ oggerant: *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam*.

[q] *Ibidẽ superiùs n. 16.*

Isa. 9. 3.

§. IX.

Idipsum ostenditur in Moyse Barcepha, & Nemesio: quem sive gratificandi studio, siue auctoritatis conciliandæ zelo, Ripalda de Philosopho Pelagianismum redolente, Episcopum creat.

SVpersunt adhuc duo ex Auctoribus præmentionatis, Moyses Barcepha, & Nemesius. De quorum primo Cardinalis Bellarminus Lib. de Scriptor. Eccles. loquens: "Scripsit, *inquit*, librum de Paradiso, in „partes duas diuisum; qui extat in primo Tomo Bibliothecę SS. Patrũ „editionis 2. Est autem hic liber cautè legendus: quia non pauca affirmat

mat contra veram Theologiam". Similia de eodem habet Aubertus Miræus Lib. de Scriptor. Eccles. cap. 287. Videri præterea de eodem potest Possevinus in Apparatu sacro, cum observationibus Magistri Sacri Palatij, ad quas ille remittit. Atq; hic ipse liber est, quem Ripalda nobis obiectat & pro se vsurpat locis præcitatis. De Nemesio, altero Ripaldæ patrono, ita scribit Cardinalis Bellarminus Lib. de Scriptor. Eccles. in Gregorio Nysseno, Observat. 3.ª: "Libri octo de Philoso„phia non videntur esse sancti Gregorij Nysseni: Nam in lib. 2. docet, „Animam non creari in corpore, sed ante corpus fuisse creatam; qui est „error Origenis. Et pręterea totū hoc Opus Philosophicum est, ET SA„PIT PELAGIANISMVM. Adde quòd hoc idē Opus invenitur in Biblio„theca SS. Patrum Tom. 9. ex editione 2.ª sub nomine cuiusdam Ne„mesij, Philosophi Christiani: eo solùm excepto, quòd apud Nysse„num dividitur in octo libros; apud Nemesium est vnus liber in capita „45. divisus; & inscribitur, *de Homine*, sive *de Anima*". Quanta porrò sit huius Nemesiani Operis, quod Bellarmino teste *totū Philosophicum est & sapit Pelagianismum*, cum Ripaldæ dogmate consonantia, dicat nobis ipse Ripalda Disp. 15. n. 53." Accedunt, *inquiens*, quæ ex Nemesio, qui „Nyssenus à plerisque putatur, protulimus n. 47. 121. 137. 145. & 157. „Quibus adeò expressa est pro libertate arbitrij indifferentia ad utrum„que, omnis necessitatis & determinationis antecedentis expers; vt nul„lus fuerit, sive Philosophus, sive Pelagianus, sive recentior Catholicus, „quibus Baianistæ nostram doctrinam tribuunt, qui disertiùs eam in„differentiam asseruerit ad libertatem arbitrii necessariā". Mirum proinde non est, quod postquam Ripalda superiùs Disput. 14. n. 137. testimonium huius Nemesij allegasset, mox n. 138. Ennodium Ticinensem ex Epistola ad Constantium, de qua suprà, subiunxerit: "Aurea, *inquiens*, „sunt ad rem verba Ennodii Ticinensis" &c. Sed quænam illa res, ad quam *aurea sunt verba Ennodij*? Responderat Ripalda superiùs Disp. 8. n. 301. Ad astruendum nimirum hæresiarchæ Pelagii dogma in Libello fidei suæ ad Papam Innocentium: Quem Libellum Ripalda ibi obtrudit sub titulo *Explanationis fidei* Hieronymi *ad Damasum*. Itaque ex mente Ripaldæ consonant inter se Nemesius & Ennodius: consonat autem Ennodius Pelagio, ac per hoc Nemesius eidem Pelagio. Nunquid ergo scitè de Nemesiano Opere aiebat Bellarminus: "Totū hoc Opus Philo„sophicum est, & sapit Pelagianismum"? Sed Ripalda, sive ad gratificandum tanto suo patrono, sive ad maiorem auctoritatem Nemesiano Operi conciliandum, ipsum Nemesium creavit *Episcopum Emisenum*, vt videre est disp. 8. n. 219. & disp 18. n. 66. præferens unū Nicasium Ellebodium non Bellarmino modò, sed reliquis etiā Scriptoribus, Nemesium statuentibus Philosophum non Episcopum. In Bibliotheca Pa-

 trum

trum habentur Nemesiano Operi præfixa hæc verba: "Nicasius Elle-
„bodius Græcâ in Nemesium Præfatione sive Epistolâ ait, Nemesium
„Emesæ vrbis Phœnices Episcopum extitisse: Apud alios omnes altum
„est de illo silentium". Sed, vt diximus, Ripalda sive gratificandi, sive auctoritatis ei conciliandæ studio, maluit cum Ellebodio eum fingere Episcopum, quàm cum alijs omnibus de eius Episcopatu silere.

§. X.

Ripalda scelestissimos Hæresiarchas sub Orthodoxorum Patrum nominibus obtrudit. Quod imprimis ostenditur in Pelagio, quem pro Hieronymo venditat, ex Commentarijs in Paulinas Epistolas.

ILlam porrò Ripaldæ impudentiam quis dignè exaggeret, quòd scelestissimos hæresiarchas, eorumque complices pro celeberrimis fidei catholicæ propugnatoribus obtrudat? Quis scelestior Pelagio? Quis celebrior fidei adversùs eum vindex Augustino aut Hieronymo? Et tamen Ripalda vsque adeo ima summis miscuit, vt Pelagium pro Augustino & Hieronymo venditaverit. Scripsisse Pelagium in Paulinas Epistolas Commentaria, testatur Augustinus lib. de Gestis Palæstinis cap. 16. & lib. 3. de Peccat. merit. per varia capita. Extant illa inter notha Hieronymi opera Tom. 8. Vnde Cardinalis Bellarminus lib de Scriptor. Eccles. in observatione super illo Hieronymi Tomo: "Commentaria in omnes Epistolas, *inquit*, non solùm non sunt Hiero-
„nymi, sed, quòd magis mirum est, Pelagij hæresiarchæ sunt. Nam S.
„Augustinus l. 3. de peccat. meritis & remissione c. 1. dicit, se legisse Cō-
„mentaria Pelagij brevia in omnes Epistolas Pauli: & infrà cap. 12. al-
„legat quædam ex Commentario in caput 7. prioris ad Corinthios,
„quæ in his Commentarijs inveniuntur. Vide Auctorem horum Cō-
„mentariorum in caput 5. 6. 7. 8. & 11. ad Romanos: item 1. Cor. 4.
„Philipp. 1. & 3. & in caput 6. prioris ad Timotheum: & invenies sen-
„tentias manifestè Pelagianas". Ripalda nihilominus Disp. 23. n. 198. Commentaria ista sub Hieronymi nomine obtrudit. Cùm enim superiùs n. 197. Ambrosiastrum sub Ambrosij nomine venditasset, subdidit ibi: "Item Hieronymus 1. ad Timoth. 2. *Qui vult omnes homines salvos*
„*fieri*, sic explicat: Si ipsi tamen vocanti Deo consentire voluerint". Sed Hieronymus ille tuus, ô Ripalda, Pelagius hæresiarcha est: vt præter Bellarminum iam citatum perhibet Estius Commentario in illum ipsum Apostoli locum: "Sciendum est, *inquiens*, nonnullos Apostolicā
„sententiam hoc modo interpretari: *Qui vult omnes homines salvos fieri*,
„modò & ipsi velint. Huiusmodi enim conditionem in verbis Aposto-

li la-

„li latere existimāt Commentatores AMBROSIASTER ET PELAGIVS". Qui rursus in 1. dist. 46. §. 4. eandem interpretationem referens ac refellens : "Eadem interpretatio, *inquit*, reperitur in brevi Commentario „qui fertur inter opera Hieronymi, NON DVBITATVR AVTEM ESSE „PELAGII : in quo verbis Apostoli subiungitur hæc conditio : Si ipsi „tamen vocanti Deo consentire voluerint. Et paulo pòst : ille se pro „omnibus dedit, si omnes redimi vellent. Verùm has interpretationes „vt parùm cōsentaneas doctrinę quam Scriptura tradit de gratia Chri„sti, quâ nimirùm operante fit hoc ipsum, vt homines accepient & ve„lint, passim Augustinus refellit". Sed imitatus est Ripalda Iesuitas Lovanienses, qui in Apologia Articulorum suorum à Sacra Facultate ante 60. annos censuratorum, eundem Pelagij Commentarium sub Hieronymi nomine venditarunt. Si ergo Ripaldam non puduit in venditando hæreticos pro Ecclesiæ Doctoribus imitari Maiores suos, cur nos pigeret imitari nostros? Si Ripalda legisset Iustificationem Censurę Lovaniensis adversùs Apologiam suorum Sociorum, non paucos hęreticos pro Sanctis Patribus obtrudentium; invenisset hæc verba cap. 5. "Multos in hoc numero videmus, quos ad ferendum testimonium non „putamus idoneos : Inprimis auctorem illum Scholiorum apud Hie„ronymum in Epistolas Pauli; quem esse Pelagium, plusquam proba„bile est".

§. XI.

Ripalda eundem Hæresiarcham Pelagium pro Hierònymo rursus; itemque pro Augustino obtrudit, ex libello Professionis Fidei ad Innocentium Papam. Vbi denuò de vnius Auctoris in plures partitione.

SCripsit idem Hæresiarcha Pelagius libellum, seu professionem fidei suæ, quem ex Oriente Romam destinavit cum litteris ad Papam Innocentium I. Sed eo interim defuncto traditus est Zozimo successori; provt aliquoties Augustinus perhibet, signanter lib. de Gratia Christi cap. 30. & 32. Quo postremo loco integram inde recitat sententiam, quæ vsque hodie visitur in eodem Pelagij libello, inter notha Hieronymi Opera To. 9. sub titulo *Explanationis fidei* Hieronymi *ad Damasũ*; atque etiam inter Augustini Opera Tom. 10. sub titulo *Sermonis 3. de Sancta Trinitate*, qui est 191. de Tempore. Transcripsit eundem Cardinalis Baronius Tom. 5. Annalium, ad annum Christi 417. n. 31. & seqq. ex vetusto codice Bibliothecæ Vaticanæ, sub hoc vero titulo: *Libellus fidei Pelagij ad Innocentium cum Epistola transmissus*. De eodem Cardinalis

dinalis Bellarminus lib. de Scriptor. Ecclesf. in Obſervationibus ſuper Tomo 9. Hieronymi: "Symbolum, *inquit*, ad Damaſum, quod incipit: Credimus in Deum Patrem: & clauditur illis verbis: Se impe-,,ritum & malevolum, vel non Catholicum, non me hæreticum com-,,probabit: non eſt Hieronymi ad Damaſum, ſed Pelagij ad Innocen-,,tium. Id oſtendit S. Auguſtinus in lib. de Gratia Chriſti cap. 30.31. ,,32. & 33. vbi dicit Pelagium miſiſſe ad Innocentium papam Libellum ,,fidei ſuæ: & ibidem refert verba eius libelli, quæ ſunt illa ipſa quæ ,,in hoc Symbolo continentur". In editione Lovanienſi Opuſculorum Auguſtini adversùs Pelagianos. à centum minùs ſex annis iam peracta, ad caput 31. libri de Gratia Chriſti, vbi Auguſtinus mentionem præfati libelli ingerit, adſcripta habetur hæc nota marginalis: "Hic liber fidei in Operibus Hieronymi inſcribitur, Symbolum fidei ,,Hieronymi ad Damaſum". Quibus omnibus non obſtantibus Ripalda diſp. 8. n. 301. & diſp. 23. n. 96. Libellum iſtum ſub Hieronymi nomine venditat; eiuſque teſtimonio contendit, ſententiam ſuam de bicorni arbitrij ad bonum & malum indifferentia, ad Catholicam fidem pertinere: quia nimirum poſtquam ibi Pſeudo-Hieronymus, id eſt, hæreſiarcha Pelagius dixiſſet: "Nos dicimus hominem ſemper & pec-,,care & non peccare poſſe, vt ſemper liberi confiteamur eſſe arbitrij": continuò ſubiunxit hanc apoſtrophen ad Papam: "Hæc eſt fides, Bea-,,tiſſime Papa, quàm in Eccleſia Catholica didicimus". Circa quam apoſtrophen obſervatu dignum eſt., impoſtorem qui libellum iſtum Sermonibus Auguſtini de Tempore inſeruit, mutaſſe illud, *Beatiſsime Papa*, in hoc plurale, *Dilectiſsimi fratres*: quia nimirum Sermo ſeu Homilia ad multitudinem dirigitur. Sed quàm malâ fide in hoc negotio proceſſerit Ripalda, colligat inde Lector, quòd diſp. 15. n. 52. cùm ordinarium ſuum teſtimonium ex libello iſto allegaſſet, adiecerit: "Eſto hoc teſtimoniũ Hieronymi non ſit, ab omnibus tamen Catholicis ,,Scriptoribus tanquam dogmaticum recipitur". Ecce hîc agnoſcit non eſſe Hieronymi; quod tamen non ſolùm ſuperiùs diſp. 8. ſed etiam inferiùs diſp. 23. confidentiſſimè ei aſcribit. Quis hæc perpendens non cum Auguſtino exclamet: [r] "Neſcio quid dicam, niſi vt doleam præ-,,ſumptionem humanam, & mirer patientiam divinam" [f] Illud porrò à Ripalda ſubiunctum de Pelagij ſententia, ab omnibus pro dogmatica recepta, tam falſum eſt, quàm quod ſuperiùs hîc §. 3. de Origene à nemine quoad arbitrij indifferentiam reprehenſo effutierat. Quis enim vel mediocriter in Auguſtino verſatus ignoret, Pelagianos pertinaciſſimè adversùs eum contendiſſe, arbitrij libertatem exigere peccandi & non peccandi poſſibilitatem; ipſum verò adversùs eos contrariumeviciſſe argumentis deſumptis ex libertate Dei, Chriſti hominis, & Beato-

[r] *Aug. Epiſt.* 174.

[f] *Vide Aug. lib. de Nat. & Grat. c. 46. & 49. & lib. 1. Operis imperf. contra Iul. cap.*

rum

rum omnium, libertate perfectâ pollentium, sed peccare nequientium? Quam Augustini doctrinam adeo patenter amplexus est Anselmus, vt suum de libero arbitrio Dialogum ab hoc titulo ordiri voluerit: *Quòd potestas peccandi non pertineat ad libertatem arbitrij*. Eat nunc Ripalda, & clamet cum Pelagio: "Nos dicimus, hominem semper & peccare & „non peccare posse, vt semper liberi confiteamur esse arbitrij": Nec hoc contentus, adiungat de proprio: "Esto hoc testimonium Hieronymi „non sit, ab omnibus tamen Catholicis scriptoribus tanquam dogmati-„cum recipitur". Illud verò quis nõ irrideat, quòd Ripalda ad consuetas suas artes conversus, unum eundemque hæresiarcham Pelagiũ in duos præclarissimos Ecclesiæ Doctores, Hieronymum & Augustinum, partitus sit? De Hieronymo quidem id modò ostendimus: de Augustino idipsum patet ex Disp. 23. n. 116. ubi eundem Pelagii Libellum sub Augustini nomine venditat. Volens namque ex præceptorum implendorũ possibilitate probare gratiæ sufficientis generalitatẽ: " Apertissima sunt, „*inquit*, & creberrima asserta Patrum. Augustinus Serm. 191. de Tem-„pore: Execramur, inquit, blasphemiam eorum qui dicunt, impossibile „aliquid homini à Deo esse præceptum; & mandata Dei non à singulis, „sed ab omnibus in communi posse servari". Verùm, vt iam suprà indicavimus, Sermo iste non est Augustini, sed ipsissimus hæresiarchæ Pelagij Libellus, novo Prologo & finali apostrophe à Pelagiano aliquo impostore interpolatus, vt Homiliæ seu Sermonis speciem præferret. Qua de re qui dubitat, eum conferat cum Symbolo fidei pseudo-Hieronymi ad Damasum, de quo iam actum est. Vnde ab 80. circiter annis Lovanienses Theologi nomen Augustini de titulo expunxerunt.

102. & seqq. & Bernard. l. de Grat. & Lib. Arbit. cap. 8.

§. XII.

Hæresiarcham Pelagium rursus pro Hieronymo & Augustino obtrudit, ex Epistola ad Demetriadem: frustrà reclamantibus pseudo-Orosio & Beda.

SCripsit præterea idem hæresiarcha Pelagius Librum seu Epistolam satis prolixam ad virginem Demetriadem, quæ extat inter notha Hieronymi Opera Tom. 9. circumferebaturq; inter Augustini Epistolas Tom. 2. ordine 142. Sed in correctione Operum Augustini reiecta est in Appendicem per Censores Lovanienses ab annis iam circiter 80. impugnaturque ab Augustino & Alipio Epist. 143. ad Iulianam virginis Demetriadis matrem, & rursus ab Augustino Lib. de Gratia Christi cap. 22. 27. 37. 38. & 40. Meminit eiusdem Epistolæ vt à Pelagio conscriptæ Auctor Apologetici de Libero Arbitrio, à Ripalda aliquoties sub Pauli Orosij nomine allegati. Meminit & Beda lib. 1. in Cantica,

Vide Bellarm. Lib. de Scriptor. Eccles. in Hieron. Tom. 9.

vbi eam velut Iuliani Pelagiani fœtum impugnat; acriter eos carpens qui Hieronymum contendebant eius esse auctorem. Postquam enim capite 5. varias inde sententias Beda commemorasset, sequentis capitis initio subtexuit: "In his singulis quas ex uno eius excerpsi libello sententiis, „quanti sint errores, facilè cuivis docto patet. Quas ideò tam multas „coacervatim posui, vt pluribus errorum probamentis convincerentur „hi qui hunc librum à Catholico Beati Hieronymi calamo scriptũ con„tendunt: cautioresque erga eius lectionem redderentur, quem hæreti„cum esse didicissent. Quibus etiam sententiis pariter omnibus strictim „respondere commodum duxi, vtpote quæ cunctis (vt dixi) clariùs „luce quàm sint nefandæ, patescant". His tamen non obstantibus Ripalda Disp. 8. n. 220. & Disp. 20. n. 40. hunc Librum seu Epistolam sub Beati Hieronymi nomine obtrudit; affingens ei utrobique hanc sententiam, quam Beda inter eas numerat, quas censet *nefandas*: "Multos „Philosophorum audivimus, & legimus, & vidimus, castos, patientes, „benignos, modestos, liberales, abstinentes, iustitiæ amatores non mi„nùs quã sapientiæ". De qua sententia post verba ex ipso proximè citata subdit continuò Beda: "Quod ergo dicit, multos philosophorum, „patientiam, castitatem, modestiam, aliasque de naturæ bono habere „virtutes: constat, quia quicunque Philosophorum Christum Dei vir„tutem & Dei sapientiam nescierunt, hi nullam veram virtutem, nec „ullam veram sapientiam habere potuerunt". Viderit autem Ripalda quomodo se ab eorum societate secernet, quibus Augustinus ait: [f] "A„cerbissimi gratiæ huius inimici exempla nobis opponitis impiorum, „quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus, in quibus sine adiuto„rio gratiæ solum est naturæ bonum, licet superstitionibus mancipatũ; „qui solis libertatis ingenitę viribus, & misericordes crebrò, & modesti, „& casti inveniuntur, & sobrij". Viderit præterea quantâ temeritate Baianis pro grandi piaculo improperet Disp. 2. n. 6. quòd erroris damnandas censeant has sententias, in Pelagiano sensu usurpatas: "Adscri„bimus iniquitatem iusto, pio crudelitatem, dum Deum impossibile aliquid præcepisse conquerimur": Item: "Nec impossibile aliquid „voluit imperare, qui iustus est; nec damnaturus hominem fuit pro eo „quod vitare non potuit, qui pius est". An nescit has sententias esse prædicamenta Pelagij in eadẽ Epist. ad Demetriadẽ cap. 16? Quâ igitur fronte Disp. 23. n. 117. postremam earum obtrudit sub Augustini nomine Serm. 61. de Temp. non contentus de Pelagio formasse Hieronymum, nisi formaret & Augustinum? An nescit, Augustini nomen iam dudum de titulo Sermonis istius fuisse expunctum? An nescit, Bedam Augustini studiosissimum, prædictas duas sententias recensuisse inter eas quas superiùs citatus vocat *nefandas*? Audiat ergo vel invitus eundem

Sentent. Pelagii in Epist. ad Demetriad. c. 3.

[f] *Aug. libro. 4. cont. Iulian. c. 3.*

Bedam

Bedam ad calcem capitis 5. præmemorati, de duabus istis sententiis signatè scribentem: "Si *modicum fermentum*, Apostolo teste, *totam massam* 1. Cor. 5. 6.
,,*corrumpit*, quantò magis venenum quàm maximum? Adscribimus,
,,inquit, iniquitatem iusto, pio crudelitatem, dum eum primò impossi-
,,bile aliquid præcepisse conquerimur: proinde pro his damnandum ab
,,eo putamus hominem, quæ vitare non potuit. Et paulò pòst: Nec im-
,,possibile aliquid potuit imperare, qui iustus est; nec damnaturus est
,,hominem ob ea quæ non potuit vitare, qui pius est". Non equidem ignoramus prædictas sententias certo aliquo sensu posse esse veras; sed eas cum Beda erroris damnandas censemus in sensu Pelagiano: "Quod
,,dicit, *inquit Beda sequenti capite 6. & nos cum ipso*, Dominum non
,,impossibile aliquid præcepisse, qui iustus est: verum profectò dicit, si
,,ad eius respicit auxilium, cui catholica vox supplicat, *Deduc me in se-* Psal. 18. 35.
,,*mita mandatorum tuorum*. Si verò viribus animi sui fidit, refellit eum ve-
,,ridica eiusdem iusti conditoris sententia, qua dicit, *Sine me nihil potestis* Ioan. 15. 5.
,,*facere*. Quod dicit, Eum qui pius est non damnaturum esse hominem
,,pro eo quod vitare non potuit: contradicit eiusdem pij Redemptoris
,,& Iusti iudicis sententiæ, qua etiam de parvulis ait, *Nisi quis renatus fue-* Ioan. 3. 3.
,,*rit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei*". Quàm porrò non procul abeat, quoad mandatorum possibilitatem, Ripaldanus sensus à sensu Pelagiano per Bedam iam improbato, facilè perspicitur ex tota eius disput. 18. cuius Titulus in superiori margine foliatim descriptus sic habet: *Non est peccandi necessitas sine gratia.* Quod perinde valet, ac si dicatur: Possibilis est mandatorum observantia sine gratia.

§. XIII.

Ripalda sub Augustini nomine obtrudit Auctores librorum de Prædestinatione & Gratia, de Spiritu & Anima, & Hypognosticon: qui singulatim discutiuntur.

Pergit porrò in sua pessima praxi Ripalda, & librum *de Prædestinatione & Gratia* sub eiusdem Augustini nomine obtrudit disp. 7. n. 115. & disp. 10. n. 46. & disp. 23. n. 39. 233. & 268. & disp. 24. n. 29. Cui quidem libro in Appendicem Tomi 7. Augustini reiecto Lovanienses Theologi antè 80. circiter annos hanc præfixère censuram: *Suspecti Auctoris liber.* Rursus Facultas Theologica Lovaniensis in *Iustificatione suæ Censuræ* cap. 3. Iesuitis Lovaniensibus eundem librum in sua Apologia sub eiusdem Augustini nomine venditantibus respondit: "Adeò manifestum est, Augustini librum non esse, vt con-
,,tra ipsum scriptus sit potiùs. Vt mirum sit, seriò eum à nonnulis cita-

,,ri

„ri potuiſſe; qui & dicere auſi ſunt, retractaſſe ibi Auguſtinum prio-
„rem ſententiam; ſed ideò in Retractationum libris eius nullam fieri
„mentionem, quia poſt illos ſit ſcriptus". Cui Facultatis iudicio ſub-
ſcribens Cardinalis Bellarminus lib. de Scriptor. Eccleſ. in Obſervationibus ſuper Tom. 7. Auguſtini: "Liber de Prædeſtinatione &. Gratia, *inquit*, non videtur eſſe Auguſtini. Nam diſcrepat à phraſi & do-
„ctrina Auguſtini: ſiquidem cap. 16. dicit hic auctor, hominem po-
„tuiſſe iuſtè à Deo damnari, etiamſi non peccaſſet. Contrarium do-
„cet S. Auguſtinus Epiſt. 105. & 106. & lib. 2. de Peccatorum meri-
„tis & remiſſ. cap. 16. & alibi". Quam Bellarmini cenſuram latiùs & accuratiùs proſequens Poſſevinus in Apparatu ſacro, ſuper eodem Tomo 7. Auguſtini: " Liber, *inquit*, de Prædeſtinatione & Gratia,
„non videtur Auguſtini: Nam nec à Poſſidio, nec à Beda citatur; &
„ſimul diſcrepat à doctrina Auguſtini: imò videtur SAPERE OPINIO-
„NEM CASSIANI: nam c. 9. tribuit libero arbitrio ſoli, eligere bonum
„præcedēte Vocatione. Item cap. 11. tribuit Deo velle, quia vocat & il-
„luminat; at homini conatum. Præterea dicit, quòd primò Deus vo-
„cat, ſecundò homo aperit & dilatat os, tertiò Deus illud implet. Et
„cap. 12. obijcit argumentum Pelagij, & non ſolvit, niſi ſicut Caſſia-
„nus ſolviſſet. Et cap. 15. ad difficillimam quæſtionem ita reſpondet,
„ vt in Nabuchodonoſor pœnitente ponat initium bonæ voluntatis, &
„Deo tribuat perfectionem. Vt omittam quod cap. 16. dicit, hominem
„etiamſi non peccaſſet, iuſtè à Deo damnari potuiſſe: contra Auguſti-
„num in Epiſt. ad Paulinum, & Lib. 2. de Peccatorum meritis & re-
„miſſ. cap 16. & contra Concilium Arauſicanum". Non minori temeritate idem Ripalda Diſp. 22. n. 161. obtrūdit Auguſtino librum *de Spiritu & Anima*: quem Lovanienſes Theologi ab 80. circiter annis in Appendicem Tomi 3. Operum Auguſtini reiecerunt, hâc cenſurâ prænotatum: "Non eſt hic liber Sancti Auguſtini, ſed cuiuſdam mul-
„tò recentioris. Nam cap. 37. citat Boëtium, & cap. 48. habet ex
„Gennadio de Eccleſiaſticis dogmatibus permulta cautè legenda". Conſimili artificio Ripalda Diſp. 8. n. 260. obtrudit Auguſtino Libros Hypognoſticon: imitans in hoc priſcos Semipelagianiſmi fotores, de quibus ab octo iam circiter ſæculis Eccleſia Lugdunenſis lib. *de Tenenda ſcriptura veritate & ſectanda Patrum auctoritate*, ita ſcribit cap. 9. "Circumferunt quidam Libellum velut ipſius (*Auguſtini*) nomine titu-
„latum, quem Græco vocabulo Hypognoſticon appellant: quem ne-
„que ille ſanctus Epiſcopus (*Poſſidius*) qui vtique vitam ipſius ſcripſit,
„& Indicem omnium librorum, ſive Epiſtolarum eius diligentiſſimè in
„fine eiuſdem ſcripturæ ſubiunxit, qui vtique omnia eius ſcripta opti-
„mè noverat, vtpote ab ipſo nutritus, & cum eo multis curriculis an-
no-

„norum conversatus, inter cæteros libros eius memorat: neque vllus „ferè Ecclesiasticus Scriptor eius mentionem facere invenitur: & ideò „falsá superscriptione titulatum minimè dubium est. Hunc ergo isti, „relictis eius authenticis & clarissimis libris quos vniversa Ecclesia se- „quitur, confingunt suo errore atque mendacio, velut post omnes li- „bros suos præfatum Pontificem, vltimum conscripsisse: & asserunt „quòd quicquid in præcedentibus libris suis de Gratia & Libero arbi- „trio, de prædestinatione & præscientia Dei perperam dixerat, in isto „correxit. Quod omninò absit à nobis, vt tam nefarium commentum „suscipere patiamur; vt propter istiusmodi librum, qui neque in ca- „talogo librorum eius, neque in libris Retractationum eius, neque in „Scriptis alicuius viri Ecclesiastici fortè memoratus reperitur; & mani- „festissimè prædicti Doctoris sensibus, imò Catholicæ sinceritati pro- „batur adversus, nec ipso stylo vllatenus cum eius eloquio consonat; „abijciamus clarissima veritatis dogmata, quæ in verissimis & proba- „tissimis libris eius, non solùm in cæteris mundi partibus, sed etiam in „ipsa Sede Apostolica, omnis Catholica suscipit & servat Ecclesia. Quę „omnia idcirco tam diligenter replicanda credidimus, vt tantum ma- „lum de contemptu & abiectione Sanctissimorum Patrum, tantum „mendacium de libris fidelissimi & sincerissimi Doctoris, per quod „clarissimam veritatem respuendam, & fallaciarum vmbras ac nebulas „sequendas isti persuadent, penitùs à nostris animis repellamus. Quia si „istiusmodi fallaciam incautè suscipimus, intrabit putredo de veneno „serpentis, & nihil integrum remanebit". Si Lugdunensis Ecclesia tam acri reprehensione dignam censuit fallaciam eorum, qui solos Hypognosticon libros, non vsquequaque reprobandos, Augustino supposuerunt; quantis putabimus execrationum fulminibus reprimendam censuisset temeritatem Ripaldæ, qui & illos ipsos Hypognosticon libros, & non paucos alios longè eis deteriores eidem Augustino supponere non erubuit?

§. XIV.

Ripalda sicut pro Augustino Pelagium, ita pro Augustini præceptore Ambrosio obtrudit Pelagij præsultorem Ambrosiastrum, Luciferiani schismatis propagatorem, à Hieronymo dictum Orbis Deucalionem.

NEque verò cōtentus fuit Ripalda, Augustinū cum Hieronymo in hanc scenam producere, nisi Augustini magistrum Ambrosium, & fidissimos discipulos Prosperum & Fulgentium, in eandem vel invitos

protruderet. Nam disp. 8. n. 165. & 166. & disp. 12. n. 128. & disp. 14. n. 63. & disp. 15. n. 49. & disp. 20. n. 11. & 45. & disp. 21. n. 12. & disp. 23. n. 197. & 227. sub Ambrosij larva Auctorem Commentariorum in Paulinas Epistolas obtrudit: quem adeò exploratum est non esse Ambrosium, vt vix aliter in Scholis nuncupetur, quàm *Ambrosiaster*. Cardinalis Bellarminus lib. de Scriptor. Ecclesi. in Observationibus super Tomo 5. Operum Ambrosij, multis argumentis ex professo ostendit, Auctorē illorum Commentariorum non esse Ambrosium; ex quorum secundo patet, Ripaldam audaciorem fuisse Pelagio. Probat quippe ibi Bellarminus Auctorem illum non esse Ambrosium: "Quia „Pelagius ipse, qui Ambrosij testimonia Augustino obijcere solet, ex his „Commentarijs nihil obiecit: cùm tamen in his Commentarijs sint „non pauca, quæ Pelagij errores continere videntur: vt perspicuum „est ex Commentarijs in Epistolam Ad Romanos". Ecce quomodo Ripaldæ audacia audaciam Pelagij transcenderit. Nam quod Pelagius non ausus est vel semel obijcere, Ripaldam non puduit etiam decies ingeminare. De ijsdem Commentarijs loquens Possevinus in Apparatu sacro, super Operibus Ambrosij: "Tantò minus, *inquit*, videntur Am„brosij, quod in Epistolam ad Romanos videantur alicubi sapere Pe„lagianismum". Probat hoc ipsum quamplurimis argumentis Florentius Conrius Archiepiscopus Tuamensis Tract. *de Statu parvulorum sine baptismo decedentium*. cap. 8. 9. & 10. præfigens octavo capiti hunc titulum: "Ostenditur manifestè Commentarium in Epistolam ad Roma„nos, qui Beato Ambrosio tribuitur, non esse ipsius, sed alicuius Pe„lagiani: erroresque illius Commentarij de Possibilitate naturæ, & de Gratia Christi, notantur". Nono autem hunc: "Declaratur quomodo „prædictus Commentarius prædestinationem divinam destruat, eam ad „solam præscientiam reducendo; atque adeò scandalum crucis evacuādo". Decimo denique hunc: "Ostenditur illum Commentarium „evacuare peccatum originale". Quanto porrò auctoritatis robore polleat iste Conrij Tractatus, inde licet cernere, quòd consonis suffragijs ab vtriusque Academiæ Belgicæ Theologis vnà cum Archiepiscopo Dubliniensi sit approbatus. Vixit porrò ac scripsit præimprobatus Ambrosiaster tempore Damasi Papæ, vt ipse testatur in caput 3. prioris ad Timotheum: "Ecclesia, *inquiens*, Domus Dei dicitur, cuius ho„die rector est Damasus". Probabiliter verò colligit Bellarminus loco proximè citato, & Possevinus in Apparatu sacro, super Tomo 4. Augustini, eundem Ambrosiastrum fuisse etiam auctorem *Quæstionum vtriusque testamenti* apud Augustinum: Qua de re videri potest Censura Quæstionibus istis præfixa per Lovanienses in Appendice ad Tomum 4. Augustini. Censent præterea Bellarminus & Possevinus post Ioan-

nem à Lovanio, cum fuisse Hilarium Diaconum, Luciferiani schismatis propagatorem: quem Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos cap. 9. *Deucalionem orbis* ironicè appellat. Ad quæ Hieronymi verba Marianus Victorius in Notis. "Appositè, *inquit*, Hilarium Diaconū, orbis „Deucalionem appellat: quasi totus mundus in hæreticorum baptisma„te, veluti in altero orbis diluvio, periturus fuisset, nisi ab uno Hilario „per alterum restitueretur baptisma".

§. XV.

Ripalda pro Prospero Semipelagianismi debellatore, Semipelagianos impudentissimè obtrudit. Obiter de Ripaldani Operis Approbatoribus: quorum professio Iesuitica studiosè supprimitur, sed Censoria dignitas sig. ate exprimitur.

SEd qui Augustino eiusq; magistro Ambrosio tam impudenter illusit, fortè Augustini discipulos Prosperum & Fulgentium est reveritus? Absit omninò: Scriptum est enim, *Non est discipulus super magistrum.* Sicut Matth. 10. 24.
ergo Ripalda pro Augustino Pelagium, ita pro Prospero & Fulgentio Augustini discipulis, Massiliēses Pelagij catulos obtrusit. Nam Disp. 23. n. 87. ad probandum dari omnibus gratiam sufficientem pro arbitrij nutu repudiabilem, Massiliensium dogma à Prospero relatum, ipsi Prospero affinxit: perinde ac si quis Psalmographo, aut Spiritui sancto per os eius loquenti affingeret Atheismum Insipientis, eò quòd scriptum sit: *Dixit Insipiens in corde suo, Non est Deus*: aut si quis Ripaldæ ipsi articulos omnes Baianos in eius Opere memoratos adscriberet. Psal. 13. 1.
Neq; solùm Prospero, sed Catholicæ etiam Ecclesiæ hæresim Massiliensium Ripalda ibidem attribuit. Nam cùm superiùs in eâdem Sectione testimonia quędam sub Prosperi nomine imperitissimè coacervasset, subdidit ibi: "Ex „quibus indubitatum est, constantem fuisse Prosperi mentem in asseren„da gratia auxiliante Dei purè sufficienti, quippe omnibus etiam non „cooperantibus communi. Quod rursùs pulchrè cecinit Lib. de Ingrat. „cap. 10. disserens de Gratia, quâ ECCLESIA CATHOLICA profitetur.

Vt cunctos vocet illa quidem, invitetq;, nec vllum
Prætereens, studeat communem adferre salutem Vide Cap. 4. §. 18.
Omnibus, & totum peccato absoluere mundum
Sed proprio quemq; arbitrio parere vocanti:
Iudicioque suo motâ se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat vlli.

Ex Gennadio & Fausto, ô Ripalda, synagogam Massiliensium pro Ecclesia Dei Catholica venditare didicisti: quorum prior in libro de Viris Illustribus cap. 84. dicit se legisse Prosperi Librum "adversus opuscula sub personâ Cassiani, quæ ECCLESIA DEI saluta-

ria probat": posterior Lib. 1. de Libero arbitrio cap. 16. Augustinum eiusque discipulos carpens, cùm præmisisset: "Dominum nostrũ Iesum „Christum aiunt humanam carnem non pro omnium salute sumpsisse, nec pro omnibus mortuũ esse";continuò subdidit,de re quę nunc agitur: "Hoc omnimodis CATHOLICA detestatur ECCLESIA". Huius itaque Ecclesiæ Gennadianæ ac Faustinæ suffragio triumphans Ripalda, insultat adversario, subiungens ibidem: "Audis,gratiam Dei cunctos vocare, „nullum præterire, nulli subtrahi, & in omnium arbitrio eius obedien-„tiam constitui, ideoque inobedientiam ad culpam deputari"? Audio sanè, respondet Baianus ille cui insultas: & regero tibi, quod præceptor meus Augustinus præsultori tuo Iuliano olim insonuit: [t] "Prolixâ con-„tradicendi disputatione multum sudasti, sed non sincerasti. Perstitisti „quippe in sententia tua prava,quamvis meam rectam ipso experimento „probares non abs te potuisse convelli. In qua tua contradictione præ-„tereo gestus & iactationes tuas,tanquam hominis anhelantis, & perve-„nire quò nititur non valentis; & in nebulis tamen quas perturbatus „offundit, se pervenisse fingentis". Audio sanè, ait tibi rursus idem Baianus: atque vt cunctis *te non sincerasse* appareat, præfigo tuis versibus, quod eisdem Prosper præfixerat: [u] *Gratia qua Christi populus sumus hoc cohibetur limite* VOBISCVM, *& formam hanc:* ADSCRIBITIS *illi*. Sed quibusnam, inquies, hoc Prosper occinit? Utique illis,quorum tu dogma ibidem consequenter descriptum, ipsi describenti obtrudere machinaris. Jllis, inquam,quibus inferiùs cap. 34. eiusdem libri occinit: *Vos igitur soli queruli, solique superbi: vos soli Ingrati, quos urit gratia: cuius omne opus arbitrio vultis subsistere vestro*. Illis denique, quibus post paucula ibidem ita insultat, vt eius insultatio non minùs in Ripaldam, quàm in ipsos quadret, cùm utrorumque idem sit dogma, ipso Ripalda non solùm fatente, sed etiam operosè probare nitente. Insultatio illa sic habet: *I procul insana impietas, artesque malignas aufer, & Auctorem comitare exclusa Britannum*. Vbi sive quis dicat esse execrationem dogmatis, sive insultationem dogmatizantium, non admodum interest. Mirum profectò si Ripaldæ & eius approbatoribus Consocii ignoscent,qui Molinistici dogmatis mysteria toti mũdo tam exertè propalarunt. Inter nos & Socios hactenus disceptabatur, an ipsorum & Massiliensium dogmata coinciderent. Asserebant nostri, abnuebant Socij. Eligitur à Socijs novus Goliath Ripalda,qui singulari certamine litem decideret. Ille ultrò profitetur, Sociorum doctrinam *pulchrè* à Prospero describi *Lib. de Ingratis cap.* 10. Manifestum est autem unicuique caput illud inspicienti, describi ibi à Prospero dogma Massiliensium. Ac per hoc fatente Ripalda cum suis approbatoribus, Sociorum dogma est dogma Massiliensium. Sed quinam illi approbatores?

[t] *Aug. Lib. 4. contra Iulian. cap. 9.*

[u] *Prosp. Lib. de Ingrat. cap. 10. in principio.*

Lucas Guadingus, *fidei Censor*. *Augustinus de Castro*, *fidei Censor*. *Gonsalus de Castilla*, *fidei Censor*. Primus ait; *Dignissimum praloquendo Opus insigne R. P. Ioannis de Ripalda* &c. Secundus ait: *Pro defendenda denuò Catholica fide venit in tempore Liber R. P. Ioannis de Ripalda* &c. Tertius ait: *Laudabile Opus R. P. Ioannis de Ripalda* &c. Sed fortè tres illi *fidei Censores* Operis approbatores non sunt de Societate, præsertim cum id in signaturis non exprimatur? Imò verò sunt, & quidem ex præcipuis; prout fida relatione intelleximus. Sed expedire visum est in signaturis id subticere, ne Sociorum pro Socio testimonia vilescerent. Iudicet porrò æquissimum Hispanicæ Inquisitionis tribunal, quâ pœnâ plectendi sint, qui *Censorum fidei* titulo sic abutuntur.

§. XVI.

Consimili artificio Ripalda contradictores gratiæ, pro sincerissimo eiusdem propugnatore Fulgentio, obtrudit.

PRo Fulgentio, altero Augustini discipulo, eosdem Massilienses vel certè Pelagianos Ripalda obtrudit Disp. 8. n. 248. Disp. 19. n. 26. & Disp. 20. n. 70. Quibus locis ad probandum inesse hominibus sine ope gratiæ possibilitatem benè moraliter agendi, inducit Fulgentium lib. de Incarnatione & gratia cap. 25 docentem ac probantem, " Quòd ,,etiam illi, qui fidei gratiam non recipiunt, illa quæ ad honestatem mo- ,,rum & vitæ societatem pertinent, naturali quâdam lege servant". Sed si Ripaldam non puduit, Fulgentium fingere Pelagiano idiomate blaterantem; nec nos pigebit, eundem inducere Augustinianâ linguâ loquentem; & Ripaldæ, quod Augustinus Iuliano Pelagiano oggresserat, regerentem: [w] " Non est multum, vt ipsa verba mea ponam, vt videant ,,qui hæc legunt, quemadmodum scriptis meis insidieris; & quâ con- ,,scientia, vel tardis, vel ignaris cordibus abutaris: vt ideò te existiment respondere, quia non vis tacere". Audiat ergo Ripalda vel invitus integrum loci à se allegati Textum, & dediscat aliquando pro gratiæ defensoribus contradictores eiusdem obtrudere: " De his, *ait loco à Ri- ,,palda citato Fulgentius*, in quibus natura divino sanatur munere, vt in ,,Deum naturaliter credant; quique gratis per fidem iustificati etiam ,,ad benè operandum auxilium gratiæ subsequentis accipiunt, Apostolus dicit: *Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt ,,faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis ,,scriptum in cordibus suis*. Quem quidem Apostoli locum, HI QVI GRA- ,,TIAE CONTRADICVNT, Gentibus incredulis assignare contendunt; ex ,,hoc videlicet, quod etiam illi qui fidei gratiam non recipiunt, illa quæ

w *Aug. Lib. 4. contra Iul. c. 8.*

Rom. 2. 14.

ad

„honestatem morum, & humanæ societatis vinculum pertinent, natu-„rali quadam lege sic servant, vt etiam eos qui illa violare contendunt, „iudiciorum æquitate ac severitate coërceant". Atque vt noverint tardicordes, quibus Ripalda abuti tentavit, quemadmodum Fulgentio fuerit insidiatus; videant quid ibidem proximè sequatur: "Vbi minus at-„tendunt, *subdit ibi Fulgentius*, Apostolico suam sententiam prorsus „enervari sermone". Sed quorum sententiã? Vtique eorum quos commemoraverat dicens, HI QVI GRATIAE CONTRADICVNT: qui nimirum Apostoli locum gentibus incredulis assignare contendunt, ex hoc videlicet, "Quod etiam illi, qui fidei gratiam non recipiunt", & cætera quæ à Ripalda allegantur & Fulgentio obtruduntur; cùm sint *Contradictorũ gratiæ* argumenta, suã Apostolici loci interpretationẽ stabilire nitentium. Qua in re videtur Ripalda ipsis gratiæ contradictoribus esse deterior: nam quia aliquid ampliùs astruere voluit quàm illis *Contradictorum gratiæ* verbis importetur, ipsorum verba truncavit, vt commodiùs suo proposito sub Fulgentij nomine obtrusa servirent. Non enim illi ibi dicebant de gentibus infidelibus, "Illa quæ ad honestatem „morum, & humanæ societatis vinculum pertinent, naturali quadam lege servant"; vt Ripalda imponit: sed, "Illa quæ ad honestatem mo-„rum, & humanæ societatis vinculum pertinent, naturali quadam lege „SIC servant, VT ETIAM EOS QVI ILLA VIOLARE CONTENDVNT, „IVDICIORVM AEQVITATE AC SEVERITATE COERCEANT". Vbi cùm *Contradictores gratiæ*, non absolutè, sed cum quadam limitatione dixissent, illa quæ ad honestatem morum pertinent, ab incredulis naturali quadam lege servari: Ripalda eos transcendens, dixit absolutè servari: & vt verba Textus in suum sensum aptiùs torqueret, inprimis sustulit particulam SIC; deinde suppressit clausulam finalem. Quod verò Ripalda non tam obliviosè, quàm insidiosè *Contradictores gratiæ* pro Fulgentio obtruserit, perspicuè constat ex his eius verbis Disp. 20. n. 22. "Nec obest, Fulgentium suprà asserere, solos eos qui gratiæ contradi-„cunt, nempe Pelagianos, exponere Paulum de gentibus etiam infidelibus" &c. Non igitur obliviosè, sed dolosè suppresserat illud, *Hi qui gratiæ contradicunt*: ne videlicet Lectori quantumcunque obtuso mox appareret, ea quæ ex subsequentibus allegaverat, non à Fulgentio ibi asseri, sed tanquam à *gratiæ Contradictoribus* asserta referri. Consimili dolo finalem clausulam pressit, ex qua datur intelligi, quòd de exterioribus duntaxàt actibus ibi sermo sit: vtpote ad quos solos humanorum *iudiciorum æquitas ac severitas* se porrigit, præsertim apud Ethnicos. Vnde etiamsi verba per Ripaldam Fulgentio affictã, ipsius verè essent; equidẽ non minùs impertinenter à Ripalda sunt repetita, quàm à *Contradictoribus gratiæ* primitùs prolata. Sed Ripalda Iulianum Pelagianistã imitari

-tari voluit, cui similiter desipienti, ac decipere volenti Augustinus reposuit: [x] "Noveris itaque, non officijs, sed finibus à vitijs discernen- „das esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum est: finis ve- „rò, propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid vbi „peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere de- „bet, peccare convincitur. Quæ tu non attendens, fines ab officijs se- „parasti; & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti".

[x] *Aug. lib. 4. contra Iul. c. 3.*

§. XVII.

Pari ineptiâ pro Anselmo obtrudit non solùm Elucidarij Auctorem ineptiarum nundinatorem, sed etiam Anselmi discipulum in Dialogo collocutorem. Ripalda Socium suum Suarezium erigere satagit, sed vt in vulnera vulnere surgat.

Consimili artificio Ripalda disputatione. 12. numero. 31. & disput. 16. n. 47. pro Anselmo Cantuariensi Auctorem obtrudit *Elucidarij*: cùm tamen non possit verisimiliter ignorare, Elucidarium contineri in quarta illa Parte Opusculorum Anselmi, cui Theophilus Raynaudus Ripaldæ Consocius à viginti circiter annis hanc præfixit epigraphen: "Quarta pars Opusculorum Sancti Anselmi Archi- „episcopi Cantuariensis, continens APERTE NOTHA". Qui rursus in Syntaxi Operibus Anselmi appensâ: "Elucidarium, *inquit*, Trithe- „mius Honorio Augustodunensi adscribit. Anselmi certè esse non po- „test: Nam neque iudicium & subtilitatem Anselmi redolet, neque sty- „lum, & rationem scribendi. Accedit quòd, vt alia non pauca taceam, „planè in cap. 43. ineptit, aut etiam fœdè labitur, cùm ait, Omnes „animas creari à Deo sanctas" &c. Sed nec minùs fœdè ineptit Ripalda, dum disp. 5. n. 29. & disp. 24. n. 76. pro eodem Anselmo obtrudit Anselmi Collocutorē in Dialogo de Casu diaboli c. 2. dicentē: " Constat „ergo quia ille Angelus qui stat in veritate, sicut ideò perseveravit, quia „perseverantiam habuit; ita ideo perseverantiam habuit, quia accepit; „& ideo accepit, quia Deus dedit". Jllud verò quis dignè irrideat, quòd idem Ripalda disp. 5. n. 56. hunc ipsum Pseudo-Anselmi locum sub ipsius Anselmi nomine vsurpaverit, vt Consodalem suum Franciscum Suarez, de obtrusis pro Augustino Adrumetinis Monachis accusatum expurgaret? Tali profectò causæ talis debebatur patronus, tali ægro talis medicus, tali morbo talis medicina: [y] "Superbia, „*ait Prosper*, omni peccato nocentior, omni genere est elationis insanior. „A quibuslibet enim lapsibus delictorum facilè surgitur, quando opem „à Reparatore suo poscit elisus. Huic autem ruinæ nihil subvenit; quia „aut

[y] *Prosp. Epist. ad Demetriad. c. 20.*

„aut difficilè peccatum suum superbus agnoscit, aut etiamsi intellexerit, „non currit ad medicum, sed de se sibi remedium pollicetur: NEC VN„QVAM IBI PROFICIT CVRA, VBI MORBVS EST IPSA MEDICINA". Prædictæ imposturæ non absimilis est alia, Ripaldæ in suo Opere vsitatissima: quâ Augustinũ disputantẽ, & partis adversæ argumẽta referẽtẽ, pro Augustino asserente, ac sua sensa promente obtrudit; vt videre est capite præcedente. Quò etiam spectat, quòd Disp. 23. n. 117. Pelagiũ objicientem Augustino Augustinum lib. de Natura & Gratia cap. 67. pro Augustino ipso quasi asserente obtrudit. Nec tamen acquiescit Augustino ibidem post verba sua à Pelagio sibi obiecta subdenti: "Agnosco, verba mea sunt: sed etiam ipse dignetur agnoscere superius „cuncta quæ dicta sunt".

§. XVIII.

Ripalda pro Chrysostomo obtrudit Auctorem Operis Imperfecti in Matthæũ, multarum & horrendarum hæreseon reum.

NOndum finis Imposturarum Ripaldæ in Patres. Nam Disp. 10. n. 30. pro Chrysostomo obtrudit Auctorem Operis Imperfecti in Matthæum: quamvis Disp. 20 n. 27. & 45. eum citet sub nomine *Auctoris Imperfect. in Matth.* De quo Opere Imperfecto Bellarminus lib. de Scriptor. Eccles. in Observatione super Tomo 2. Chrysostomi loquens: "Cuiuscunque sit opus, *inquit*, aut ab hæretico aliquo compositum fuit, aut ab hæretico aliquo corruptum". Consonat Possevinus in Apparatu sacro, super eodem Chrysostomi Tomo, disertè affirmans, Opus istud Imperfectum, "Scatere hæresibus Arrianorum, Manichæorum, Montanistarum, Armenorum & Donatistarum". Addunt alij apud Sixtum Senensem lib 4. Bibliothecæ Sanctæ, *Pelagianorum.* Aiunt quippe: "Hæretica dogmata toto passim Operi inspersa, palam arguunt, „Auctorem fuisse hæreticum, non vni tantùm sectæ addictum, sed va„rijs Montani, Manichæi, Arrij, Donati, ac Pelagij hæresibus implici„tum; & propter eas hæreses meritò ab Ecclesia damnatum, & à Pau„lo Papa IV. in catalogo Scriptorum suspectæ fidei annumeratum". Et quanquam Sixtus ibidem subsequenter, de Auctore an hæreticus fuerit dubitet; Opus tamen ipsum hæresibus respergi non ambigit, quarum nonnullas signatè ibidem commemorat: Lectorem vlteriùs remittens ad Censuras à se lib. 6. super Expositoribus Matthæi annotatas. Ubi videri potest Annot. 4. 6. 12. 15. 16. 17. 19. 21. 25. 39. 42. 44. 48. 49. 54. 63. 80. 84. 88. 90. 92. 94. 95. 100. 103. 104. 105. 108.

§. XIX.

§. XIX.

Ripalda pro Iustino Martyre obtrudit Auctorem Responsionum ad Quaestiones Gentilium: pro Athanasio Auctorem libri de Definitionibus: pro Clemente Romano Auctorem librorum Recognitionum & Constitutionum Apostolicarum: pro Cyrillo Alexandrino Iudocum Clichtoveum.

SEd nec illud silentio prætereundum censemus, quòd idem Ripalda disp. 14. n. 137. & 153. & disp. 15. n. 37 & disp. 16. n. 72. & disp. 18. n. 55. & disp. 23. n.93. pro Justino Martyre Auctorem Quæstionum, vel potiùs Responsionum ad Gentiles obtrudat: de quibus Bellarminus lib. de Scriptor. Eccles. in Justino, sic scribit: "De libro „Quæstionum 5. Gentibus à Christianis positarum, facilè iudicari po„test,eum librum non esse Iustini; quòd in eo sæpè fiat mentio Mani„chæorum, quos post mortem Justini exortos esse constat. Idem iu„dicium fieri potest de Quæstionibus 146. quas Gentes Christianis „posuerunt: nam quæst. 82. & 86. citatur Origenes; & quæst.115. ci„tatur Jrenæus, & Martyr appellatur; cùm tamen Iustinus vtroque „antiquior fuerit: nam ipse etiam Irenæus lib. 5. Iustinum Martyrem „adducit, tanquam se antiquiorem". Non dissimili artificio idem Ripalda disp. 8. n.274. pro Athanasio obtrudit Auctorem libri de Definitionibus Theologicis: de quo videri potest idem Bellarminus lib. de Scrip. Eccles. in Observatione super Tomo 4. Athanasij. Rursus idem Ripalda disp. 8. n. 211. & disp. 14. n. 67. & disp. 19. n. 15. & disp. 20. n. 115. librum Constitutionum Apostolicarum venditat sub nomine Clementis Romani. Sub cuius similiter nomine profert testimonia ex libris Recognitionum: vt videre est disp. 14. n. 173. & disp. 15. n. 33. & 34. & disp. 18. n. 53. & disp. 20. n. 113. & disp. 23. n. 91. De quibus Recognitionum ac Constitutionum libris Bellarminus lib. de Scriptor. Eccles. in Clemente, sic scribit: "De Recognitioni„bus Clementis non habeo aliquid certi. Quamvis non pauca vtilia „documenta contineant,& à viris doctis aliquando citentur;tamen pro„babile existimo, vel non esse Clementis, vel esse idem Opus cum eo, „quod Itinerarium, vel Circuitus Petri, aliqui vocant. Nam teste „Epiphanio Hæresi 30. Clemens ipse testatur, Circuitus Petri à se con„scriptos, ab hæreticis depravatos fuisse. Verè enim in Recognitio„nibus describuuntur itinera Sancti Petri & Sancti Clementis: & ad„miscentur disputationes ex media Platonis Philosophia depromptæ, „quas nullo modo credibile est Sancti Petri esse. Quòd si Recognitio„num & Itinerarij idem sit Opus, satis constabit, esse apocryphum. Iti-

„nerarium enim inter apocrypha retulerunt S. Athanasius in Synopsi, „S Gelasius in Concilio Romano, vnde extat caput, Sancta Romana, „dist. 16. & Leo IX. in Epistolis adversùs Nicetam. Verum quidem est, „Recognitionum numerari libros 10. & Itinerarij libros 8. Sed facile „fuit corruptoribus, addere, vel minuere, vel mutare. De libris Con-„stitutionum Apostolicarum, quæ Clementi Auctori tribuuntur, idem „ferè iudicium fieri debet, ac de libris Recognitionum. Multa enim „in illis vtilia sunt, & à Græcis veteribus magni fiunt: SED IN EC-„CLESIA LATINA NVLLVM FERE NOMEN HABENT: & ipsi etiam po-„steriores Græci in Concilio Trullano can. 2. improbant has Consti-„tutiones, vt ab hæreticis depravatas". Sed nec illud ad extremum rati sumus dissimulandum, quòd Ripalda disp. 23. n. 274. pro Cyrillo Alexandrino obtrudat Iudocum Clichtoveum lib. 5. in Ioannem cap. 22. & rursus ibidem n. 280. pro eodem Cyrillo eundem Clichtoveum lib. 8. in Ioannem cap. 21. cùm tamen non tantùm ex Bellarmino suo de Scriptor. Eccles. in Cyrillo, sed etiam ex ipsa librorum istorum epigraphe advertere debuerit, eos non esse Cyrilli, sed Clichtovei. Nam libri 5. titulus sic habet: "Jn Evangelium Ioannis liber quintus, ad-„iectus Explanationi D. Cyrilli per Iudocum Clichtoveum Neoportuensem, Doctorem Theologum". Libri item 8. titulus sic habet: "Commentariorum super Ioannem liber octavus, per Iudocum Clich-„toveum Cyrillo adiectus". Floruit in Græcia Cyrillus sæculo 5. æræ Christianæ, in Gallia Clichtoveus sæculo 16. eiusdem æræ: & tamen ita artificiosus transformator est Ripalda, vt vnum in alterum commutare valuerit, aut saltem voluerit. Quis ista omnia, quæ hoc ac præcedente capite commemorata sunt, perpendat, & non statim exclamet, Ripaldam in eorum Schola diu familiariterque fuisse ver-

Amos 6. 8. satum, qui propheticè prænunciantur apud Amos, dicturi: *Quisquilias frumenti vendamus.*

§. XX.

EPILOGVS.

HÆc facinora sunt, hæ maculæ, quas celeriter & raptim in isto Ioannis Martinez de Ripalda Opere ostendere voluimus, imò debuimus: ne qui sub specioso illo cortice aurum pro carbonibus latere crederent, S. Augustini hodie Discipulos, celebremq; in hac Academia Lovaniensi S. Theol. Facultatem, illis erroribus hæresibusque, quas Ripalda iis affingit, pollutam ac deformem existimaret; cum gravissimo

ſcādalo tam vicinorum Hęreticorum, quàm Catholicorum, qui ad hanc Illuſtrem Academiam, tanquam ad omnis ſapientiæ Arcem, & ditiſſimum humanarum divinarumq; litterarum mercatum vndique confluere ſolent.

Nihil igitur Societatis, aut cuiuſquā odio hîc à nobis factum; ſed quia publici boni intererat ſcire, qualis in intimo ſuo receſſu eſſet iſte Liber. Turpis, fœdus, deformis, & vt in Græco proverbio, *Αυγέιου βουςασία Aug æ ſtabulum*: qui, quo plura, aut eadem ſæpius in ipſo revoluimus, eo ſemper apparet inquinatior.

Vnde ſi inter legendum & vellicandum, durius fortaſſe interdum aliquod verbulum nobis excidit, det hoc, quęſo, iuſtę indignationi Lector.

Quale enim hoc eſt: Quòd Catholicus & Religioſus Scriptor, vt nos Confratres ſuos, Theologos Catholicos, Romanæ Eccleſiæ filios, & pro Matris ſuæ honore, ac Sedis illius Infallibilitate pugnantes, & Zeloſiſſimos, infamet ac dilaceret; Hæreticorum, aut in fide ſuſpectorū, ſub Catholicorum ſpecie, auxilia paſſim contrahat, & Sanctos Patres augendo, minuendo, truncando, aut milleſimis alijs modis & ſtrophis in ſuas partes corrumpendo, aduerſus nos ac veritatem pervertere auſus ſit? Ut ſcilicet in iſto iam eius Opere nihil ferè ſani ſit: dum aut vitioſos Auctores integrè citat, aut ſanos aliquâ parte, vel ſenſu vitiat. Quod Hæreticorum proprium eſſe hactenus credidimus.

Qualis autem doctrina eius, noſtraq; ſit, Eccleſia Mater iudicet; cui nos & omnia noſtra lubentes ſubijcimus. Rem quippe facti tantùm, & quibus armis machiniſque ab hoc novo adverſario oppugnemur, Orbi Chriſtiano palàm facere voluimus.

FINIS.

LOVANII

Apud GEORGIVM LIPSIVM

Sacræ Facultatis Bedellum.

De Mandato eiusdem Sacræ Facultatis.